JOHANNIS KEMPII
CIMELII
PARS ALTERA:
Quæ Nummos continet.

Cui præfigitur

De Asse et Partibus ejus
COMMENTARIUS.

LONDINI:
Anno MDCCXIX.

46.
12 1ro.
631.

DE ASSE
ET
Partibus ejus
COMMENTARIUS.

AS ſive *aſſis*, nam utrumque in recto caſu legitur (*a*), varia ſignificat, prout ponderibus, numeris, aut menſuris tribuitur. Varro ab *ære* deducit (*b*); unde primum de nummo dictum fuiſſe, conjicere licet. Dividitur autem *as* in partes duodecim, quarum ſingulis ſua ſunt nomina: *deunx*, *dextans*, *dodrans*, *bes* olim *des*, *ſeptunx*, *ſemis*, *quincunx*, *triens*, *quadrans*, *ſextans*, *uncia* (*c*). Hinc pro diverſo illius uſu res tota *as* ſæpe appellatur, cujus partes a partibus aſſis nomina accipiunt. Sic *heres ex aſſe*, *quadrante*, *triente*, in jure Romano legimus. Similiter et de menſuris hæc vocabula uſurpantur. Nam

(a) *Vid. Balbum de Aſſe.* (b) *De L. L. lib.* iv. (c) *Varro ibid. Dig.* 50. § 2. *De hered. inſt.*

in xii Tabulis ita lex jubet: *Ambitus parietis ſeſtertius pes eſto* (*a*). Et apud Varronem duodecimam partem jugeri, *unciam agri*; ſextam vero, *ſextantem* vocari invenias (*b*). Nec aliter Livius, *Triumviri*, inquit, *ad id creati, terna jugera et ſeptunces viritim diviſerant* (*c*). Et Columella: *Utriſque ſummis ſemper ſingulos aſſes adjicio* (*d*). Ubi vox *aſſes* ſignificat *pedes*, ut explicat doctiſſimus Gronovius (*e*). Quamobrem mirari ſubit, ſummum illum jurisconſultum Cujacium *aſſis* appellationem de menſura dici negare (*f*).

Sed ut aſſem, ita quoque et *unciam* in partes ſuas diviſerunt veteres. Quas hoc ordine tradit Voluſius Mæcianus: *Semuncia*, dimidia pars unciæ; *binæ ſextulæ*, pars tertia; *ſicilicus*, quarta; *ſextula*, ſexta; *dimidia ſextula*, duodecima; *ſcriptulum*, vigeſima quarta. Et *infra has partes*, inquit, *neque notas, neque propria nomina invenies*: niſi quod *dimidium ſcriptulum audio quoſdam ratiocinatores* ſimplium *vocare* (*g*). At neque de partibus, neque de nominibus per omnia cum Mæciano conſentit Balbus, a quo tertia pars unciæ *duella* appellatur; duodecima, *hemiſeſcla*. Addit etiam *drachmam*, quæ eſt pars octava; et *tremiſſem*, ſextam decimam (*h*).

De *aſſe* autem, ut nummi genus eo nomine intelligitur, hoc loco tractare proponimus. Librali pondere olim fuiſſe manifeſte docet Varro, ita ſcribens: *Unum pondus aſſipondium dicebatur, quod as erat libræ pondus* (*i*). Ex quibus verbis etiam apparet *aſſem* et *libram* eodem ſenſu uſurpari. Sed cum nemo veterum ſcriptorum originem aſſis, variaſque mutationes, quas diverſis

(*a*) *Tab.* viii. *l.* 1. (*b*) *R. R. l.* 1. *c.* 10. (*c*) *Lib.* v. *c.* 24. (*d*) L. v. *c.* 3. (*e*) *De pecunia vet. lib.* iii. *c.* 11. (*f*) *Obſerv. lib.* vii. *c.* 33. (*g*) *De aſſis diſtributione.* (*h*) *De Aſſe.* (*i*) *De L. L. lib.* viii.

diverſis ætatibus, tum ponderis, tum æſtimationis etiam ratione poſtea ſubiit, tam plene et accurate, quam Plinius nobis reliquerit, operæ pretium erit verba illius hic deſcribere. *Populus Romanus*, inquit, *ne argento quidem ſignato ante Pyrrhum regem devictum uſus eſt.* Librales (*unde nunc etiam* libella *dicitur, et* dupondius) *appendebantur* aſſes. *Quare* æris gravis pœna *dicta. Et adhuc* expenſa *in rationibus dicuntur: item* impendia, *et* dependere. *Quin et militum* ſtipendia, *hoc eſt ſtipis pondera*, diſpenſatores, libripendes *dicuntur: qua conſuetudine in his emptionibus, quæ mancipii ſunt, etiam nunc libra interponitur. Servius rex primus ſignavit æs. Antea rudi uſos Romæ Timæus credidit. Signatum eſt nota* pecudum, *unde et* pecunia *appellata. Maximus cenſus* CX. M. *aſſium fuit illo rege: et ideo hæc prima claſſis.*

Argentum ſignatum eſt anno urbis 485, *Q. Ogulnio, C. Fabio coſſ. quinque annis ante primum bellum Punicum. Et placuit* denarium *pro decem libris æris*, quinarium *pro quinque*, ſeſtertium *pro dupondio ac ſemiſſe. Librale autem pondus æris imminutum bello Punico primo, cum impenſis reſpublica non ſufficeret, conſtitutumque ut aſſes* ſextantario pondere *ferirentur. Ita quinque partes factæ lucri, diſſolutumque æs alienum. Nota æris fuit ex altera parte* Janus geminus, *ex altera* roſtrum navis: *in triente vero, et quadrante* rates. *Quadrans antea* teruncius *vocatus a tribus unciis. Poſtea Hannibale urgente Marcum, Q. Fabio Maximo dictatore, aſſes* unciales *facti: placuitque denarium ſedecim aſſibus permutari, quinarium octonis, ſeſtertium quaternis. Ita reſp. dimidium lucrata eſt. In militari tamen ſtipendio ſemper denarius pro decem aſſibus datus. Nota argenti fuere* bigæ, *atque* quadrigæ; *et inde* bigati, quadrigatique *dicti. Mox lege Papiria* ſemunciales *aſſes facti.*

Livius Druſus in tribunatu plebis octavam partem æris argento miſcuit. Qui nunc victoriatus *appellatur, lege Clodia percuſſus eſt. Antea enim hic nummus, ex Illyrico advectus, mercis loco habebatur. Eſt autem ſignatus* Victoria, *et inde nomen.*

Aureus nummus poſt annum 62 percuſſus eſt, quam argenteus, ita ut ſcrupulum valeret ſeſtertiis vicenis: quod effecit in libras, ratione ſeſtertiorum qui tunc erant, ſeſtertios DCCCC. *Poſt hæc placuit* X. XL. *ſignari ex auri libris, paulatimque principes imminuere pondus: minutiſſime Nero ad* XLV. (*a*).

In his Plinii verbis plurima ſunt obſervatione digniſſima: ex quibus nos ea tantum, quæ ad præſens inſtitutum facere videantur, conſiderabimus. De auctore igitur æris, ſeu aſſis ſignandi primum videamus, quem Servium Tullium fuiſſe vult Plinius. Sed non deſunt ex veteribus, qui Numæ id inventum tribuunt. Ita Suetonius Tranquillus apud Suidam, et alii, quos citat Voſſius (*b*). Sed levi admodum argumento hæc ſententia niti videtur: pendet enim ex notatione tantum nominis, quod a *Numa* deductum volunt. Primum autem, teſte Lipſio, lapides ac libri priſci nunc ſimplici, nunc geminato *mm* hanc vocem ſcribunt (*c*). Deinde gemino *mm* potius ſcribi debere confirmatur *Acroſtichide* incerti, ſed veteris tamen (ut ſtatuit Voſſius) ſcriptoris, quæ Plautinæ *Trinummi* argumentum continet (*d*). Accedit his, quod Græcæ originis fuiſſe teſtatur Varro. *In argento*, inquit, *nummi: id a Siculis* (*e*). Cui conſentiunt Pollux (*f*) et Feſtus (*g*). Non dubitat igitur

(*a*) *L.* xxxiii. *c.* 3. (*b*) *Etym. in voce* Nummus. (*c*) *Ad J. Pollucem, L.* ix. *c.* 6. § 79. (*d*) *In loco jam dicto.* (*e*) *L. L. lib.* iv. (*f*) *Dicto loco.* (*g*) *In voce* Nummus.

tur Scaliger ad locum iſtum Varronis dicere, *inepte Suetonium a Numa nummos appellari ſcribere.*

Sunt etiam, qui Saturnum, aut Janum, multa ſecula ante Romam conditam, ejus rei auctorem faciunt. Priori aſſignat Iſidorus (*a*); poſteriori Athenæus (*b*), uti et Macrobius, qui cauſam etiam narrat, cur ab uno latere *Jani*, ab altero *navis effigiem* veteres nummi habuerunt. *Janus*, inquit, *cum Saturnum claſſe pervectum excepiſſet hoſpitio, & ab eo edoctus peritiam ruris, ferum illum et rudem ante fruges cognitas victum in melius redegiſſet, regni eum ſocietate muneravit. Cum primus quoque æra ſignaret, ſervavit et in hoc Saturni reverentiam, ut, quoniam ille navi fuerat advectus, ex una quidem parte* ſui capitis effigies, *ex altera vero* navis *exprimeretur*; *quo Saturni memoriam in poſteros propagaret* (*c*). Sed Ovidius, hiſce omnibus ſcriptoribus longe vetuſtior, de eadem re canens, multo aliter ſcribit.

Multa quidem didici: ſed cur navalis *in ære*
Altera ſignata eſt, altera forma biceps?
Noſcere me duplici poſſes in imagine, dixit,
Ni vetus ipſa dies extenuaret opus.
Cauſa ratis ſupereſt: Tuſcum rate venit in amnem,
Ante pererrato falcifer orbe deus, &c.
At bona poſteritas puppim ſervavit in ære,
Hoſpitis adventum teſtificata dei (*d*).

Iis verbis, ut videmus, poeta nec Saturnum, nec ſum Janum, ſed poſteros, nummos iſtiuſmodi ſignaſ- dicit.

At

(*a*) *Orig. l.* xv. *c.* 17. (*b*) *Lib.* xv. *c.* 19. (*c*) *Saturn. L.* 1. (*d*) *Faſt. lib.* 1. *v.* 229.

At ex Plinio diſcimus aſſes primo non Jani et navis, ſed *pecudum nota* inſignitos fuiſſe. Quarum autem pecudum imagines exprimi ſolebant, alibi tradit, *Servius*, inquiens, *ex ovium boumque effigie primus æs ſignavit* (*a*). Quibus etiam *ſus* a Plutarcho additur : τὸ νομισμάτων τοῖς παλαιοῖς ἀπὸ ἐπιχαράττον, ἢ πρόβατον, ἢ σῦν. (*b*) Et profert quidem illuſtriſſimus Spanhemius, e κειμηλίοις nobiliſſimi Pembrochiæ Comitis, *quinqueſſis* iconem, quinque nimirum aſſium libralium ponderis, forma oblonga, qui ab utraque parte *bovem* exhibet ſignatum. *Quatruſſis* etiam mentionem facit, qui in S. *Genovefæ* muſeo Pariſiis extaret, ſimili figura utrinque ornati (*c*). Ex quo veteres etiam librali aſſe majores nummos habuiſſe manifeſtum eſt. Idem teſtatur vetus Perſii Scholiaſtes, cum ait : *Fuit autem aſſis libralis, et* dupondius (*d*). *Dupondius enim*, ut ſcribit Varro, *a duobus ponderibus, quod unum pondus* aſſipondium *dicebatur : id ideo, quod as erat libræ pondus : deinde ab numero reliquum dictum uſque ad* centuſſis, *ut as, ſingulari numero* (*e*). Quanquam autem æs primum pecudum effigie ſignaretur, eam tamen notam aut non diu in uſu fuiſſe, aut ſaltem non ſolam omnino credibile videtur. Certe *Jani bifrontis imaginem et navis proram, jam inde a regibus veteres Romanorum nummos inſigniri ſolitos*, vir de re nummaria antiquorum optime meritus, Ant. Auguſtinus affirmat (*f*). Admodum antiquas eſſe has notas extra omnem dubitationem ponunt *aſſes librales*, qui adhuc extant iis ſignati. Duos iſtiuſmodi aſſes ære inciſos, ex dicti nobiliſſimi proceris numiſmatis, exhibet illuſtriſſimus Spanhemius (*g*). Et nos quoque tertii

(*a*) *Lib.* xviii. *c.* 3. (*b*) *In Poplicola.* (*c*) *De præſtant. et uſu num. ant. T.* i. *p.* 22. (*d*) *Ad Sat.* ii. *v.* 59. (*e*) *L. L. l.* iv. (*f*) *Dialog.* (*g*) *Loco jam laudato.*

tertii imaginem mox proferemus. Sed et alias quoque notas asses istos librales habuisse verisimile videtur, cum partes eorum tam variis figuris signatæ reperiuntur. Exhibet enim cum prioribus idem ille vir illustrissimus *semissem*, nota S. insignitum, cum *equo* et *rota*; *stipem* etiam *uncialem*, cum *pileato* utrinque *imberbi capite*. Meminit quoque *trientis*, in quo hinc *manus cestu armata*, illinc *duæ clavæ* conspiciuntur, in memoriam scilicet Herculis cum Eryce pugnæ. Quin et nos duos trientes vidimus, ex uno latere *Romæ galeatæ capite*, ex altero vero *navis prora* percussos.

Verum ex iis quæ diximus, error illorum liquido apparet, qui non ante libralis assis diminutionem *Jani* et *navis* imagines ære expressas fuisse volunt. In ea opinione est Harduinus, cujus verba, de hisce notis loquentis, ita se habent: *In asse nimirum recens cuso, mutata priore nota illa, quam æri Servius impresserat: mutato æris pondere, et notæ mutatæ* (*a*). In cujus rei confirmationem ad Plutarchi Quæstiones Romanas nos remittit. Quo in loco Plutarchus quidem de causa notæ istius quærens, vulgatæ opinionis, ob Saturni scil. adventum, mentionem facit; quam tamen improbare videtur, aliam, quæ sibi magis veritati consentanea apparebat, subjungens: sed de tempore, quo primum imagines illæ in nummis adhiberi cœperint, ne γρῦ quidem loquitur (*b*). Cum Harduino consentit Perizonius. *Mihi*, inquit, *credibilius videtur varias hasce figurarum notas in nummis primum adhibitas, quando as ad sextantem redactus: ad quod tempus diserte Plinius has notas refert* (*c*). Huic igitur errori ansam præbuerunt Plinii verba, qui tum demum *Jani* et

 navis

(*a*) *Numm. ant. illustr. p.* 550. (*b*) *Q. R.* xli. (*c*) *De ære gravi, p.* 66.

navis mentionem injicit, poſtquam de aſſe ſextantario locutus eſt. Unde notam ſimul cum pondere mutatam eruditiſſimi iſti viri conjecerunt : quod ſane cuivis ex verborum serie facile eſſet concludere, qui libralis ponderis aſſem nunquam conſpexiſſet. Nec mirum eſt in paucorum manus illos deveniſſe, cum clariſſimus Vaillant, quo nemo forſan veterum nummorum eſt peritior, de iis ita ſcribat : *Tales autem an ſuperſint etiamnum multi dicere non auſim, quandoquidem nullos vidiſſe me memini ſupra trientem, uncias ſcil. admodum quatuor ; cæteris, utpote ſua mole incommodis, conflatis ſtatim eo tempore, quo monetæ pondus imminutum fuit. Itaque non amplius pecude, ſed hinc* Jani facie, *inde* navi *aut* rate *notati ſunt, adſcripto* Romæ *nomine, ut Romanam monetam eſſe omnes intelligerent* (*a*).

Diſcrimen autem aliquod inter aſſem et partes illius indicat Plinius, cum ait : *Nota æris fuit ex altera parte* Janus geminus, *ex altera* roſtrum navis ; *in triente vero et quadrante* rates. Hinc apud Feſtum legimus : *Ratitum quadrantem dictum putant, quod in eo, et triente,* ratis *fuerit* effigies ; *ut* navis *in aſſe* (*b*). Quanquam Varro *quadrantem* inde *ratitum* dici vult, quod ab iis ſolveretur, qui ratibus tranſibant (*c*). Rates autem, ut deſcribit Feſtus, ſunt *tigna colligata, quæ per aquam agantur* (*d*). Similia habet Iſidorus, qui *primum et antiquiſſimum genus navigii* fuiſſe dicit (*e*). De nave tamen aliquando eam vocem uſurpari uterque ibidem agnoſcit : licet proprie loquendo aliud *ratis*, aliud *navis*. Unde Florus, diſcrimen obſervans, ſcribit : *Miſſæ quoque a Baſilo in auxilium ei* rates, *quales inopia* navium *fecerat* (*f*). Jam *roſtra* trabes

(*a*) *Præfat. ad Fam. Rom.* (*b*) *In voce* Ratitum. (*c*) *L. L. l.* iv. (*d*) *In voce* Rates. (*e*) *Orig. l.* xix. *c.* 1. (*f*) *L.* iv. *c.* 2.

bes erant in navibus prominentiores, ære munitæ, ac proræ nunc altius, nunc inferius affixæ, eo consilio ut hostiles naves ictu suo gravius vulnerarent; ideoque bellicis tantum navibus imponi solitas observat Schefferus (*a*). Hinc naves istiusmodi *rostratæ* dicebantur, quas ita describit Isidorus, rostris etiam alium usum tribuens. *Rostratæ*, inquit, *naves dictæ ab eo, quod in fronte rostra ærea habeant, propter scopulos, ne feriantur et collidantur* (*b*). In nummis autem per *rostrum* ipsam *proram*, vel anteriorem navis partem, intelligi debet. Imo et *puppim* aliquando iis signatam fuisse tradit Plutarchus, πλοίου πρύμναν, ἢ πρῷραν ἐπιχαράσσων scribens (*c*). Cum Plinius igitur *rostrum navis* in asse, a *ratibus* in triente et quadrante expressis, distinguat, rates istas rostra non habuisse plane intellexisse videtur. At in duobus *trientibus* quos conspexi, forma navigii per omnia fere illi in asse similima est, nec rostrum quidem in ima parte deest. Quo discrimen illud a Plinio indicatum, non semper observatum fuisse manifesto constat. Ut res autem clarius pateat, utriusque imaginem una cum ipso *asse*, de quo supra mentionem fecimus, aliisque minoris formæ, paginis proxime sequentibus exhibebimus: quos omnes instructissimus *Kempii* numismatum thesaurus nobis suppeditavit. Atque ex hisce iconibus notas istas *Jani* et *navis* in assibus cujusque ponderis, ad imperatorum usque tempora, expressas fuisse apparebit.

At utrum tot partes assis, in quot communiter dividi solebat, revera in usum nummorum fuerint percussæ, merito in dubium vocari potest. Ita se rem

(*a*) *De re navali, Lib.* ii. *c.* 5. (*b*) *Loco jam dicto.* (*c*) *Quæst. Rom.* xxxxi.


AS
libralis.
Æ
Denarius
C. FON
ROMA
℞
I.W. delin.
[XII]

I.W. delin.

As Semuncialis

Alter Triens *assis libralis, cum huic sit persimilis, nec pagina utrumque contineret, omittitur.*

Triens Assis libralis



[XIII]

As Uncialis

As Sextantarius

I.W. delin.

habuiſſe cenſet Car. Patinus, cui orbis literatus ob eruditiſſima ſcripta de veteribus Romanorum nummis plurimum debet : cujus verba hic deſcribemus. *Ex iis*, inquit, *qui ſuperſunt æreis nummis conſtat, non ſolum* ſextantes, quadrantes, *et* trientes, *qui vulgo reperiuntur in uſu tunc fuiſſe, ut cuderentur* ; *ſed* reliquas *etiam* libræ partes : *quarum quidem pondus punctis quibuſdam, in altera nummorum parte notatis, animadvertimus indicari* (*a*). Alibi vero ejuſdem rei mentionem faciens, de ea cautius loquitur, utpote quæ conjecturis potius, quam ullis certis probationibus niteretur (*b*). Nec immerito ſane ; ni aut nummi invenirentur, unde demonſtrari poſſet ; aut veteres ſaltem ſcriptores illud alicubi indicaſſent. Audiamus igitur Ant. Auguſtinum, qui de ſignis in æreis nummis expreſſis loquens, hæc habet : *In aliis conſpicitur I. litera, vel L. quæ libram ſignificat, aut* aſſem : *in quibuſdam S. pro* ſemiſſe : *in aliis quatuor puncta vel orbes pro quatuor unciis, quæ* trientem *efficiunt. Sunt quæ tribus punctis tres uncias, quæ* quadrantem *conſtituunt, deſignent. Vidi et binis punctis duarum unciarum, quibus* ſextans *conſtat, ſignatos* (*c*). Hæc ille : quibus ſi *unciam*, ſeu partem duodecimam, adjiciamus, cujus generis nummum, uno puncto notatum, ab illuſtriſſimo Spanhemio proferri ſupra diximus (*d*), omnes forſan partes aſſis, ad pondus ſaltem unciale, in nummorum uſum ſignatas, quantum ſeu ex ipſis nummis, qui hodie extant, ſeu ex ullius antiqui ſcriptoris teſtimonio conſtat, habebimus. Nonnullos enim æreos nummos, unciæ partibus accommodatos, priſcis illis ætatibus, ut videtur, cuſos fuiſſe, ex Varrone intelligimus ;

(*a*) *Præfat. ad Fam. Rom.* (*b*) *Introduct. ad Hiſt. Num. p.* 112. (*c*) *Dialog.* i. (*d*) *De præſtant. et uſu num. ant. T.* i. *p.* 22.

ligimus; qui de aſſe et vocabulis ei conjunctis verba faciens, ita ſcribit: *Æris minima pars* ſextula, *quod ſexta pars unciæ:* ſemuncia, *quod dimidia pars unciæ* (*a*). Poſt aſſis autem diminutionem, ſaltem poſtquam uncialis factus fuerat, pauciores adhuc partes illius fuiſſe percuſſas fas eſt credere. Certe Plutarchum memoriæ prodidiſſe, *quadrantem* minimum fuiſſe Romanorum æreum nummum, ab eruditis ſæpius obſervatum fuit. Imo et ante ejus ætatem, multi ex verbis illis Servatoris noſtri idem collegerunt: Ἀμὴν λέγω σοι, οὐ μὴ ἐξέλθῃς ἐκεῖθεν, ἕως ἂν ἀποδῷς τὸ ἔσχατον κοδράντην (*b*). Ubi ut de minimo nummorum genere κοδράντην intelligamus, vis ſententiæ requirit. Nec obſtat quod ab alio Evangeliſta ſcribitur: Καὶ ἐλθοῦσα μία χήρα πτωχὴ ἔβαλε λεπτὰ δύο, ὅ ἐστι κοδράντης (*c*). Nam κοδράντης Romanus erat nummus, λεπτὸν vero Judaicus, *pruta* dictus, et ſpecie minimus, ut vult doctiſſimus Lightfoot; qui Judæos tum ſuis, tum Romanorum nummis, tunc temporis uſos fuiſſe oſtendit (*d*). Sed aliter hunc nodum ſolvit Caſtalio, poſteriorem locum ita, more ſuo, elegantiſſime vertens: *Venit quædam vidua pauper, quæ duos teruncios contulit. Eſt autem teruncius idem quod quadrans.* Si res igitur ita eſſet, minimus æreus nummus iis temporibus in uſu apud Romanos, multo levior erat noſtro æreo nummo minoris formæ, quem dicimus *a farthing:* quod ex ipſis etiam nummis poſtea comparebit. Quæ autem de partibus aſſis hactenus diximus, ad inferiora imperii ſecula extendi nolumus. Plura enim tunc minutiori forma æreorum nummorum genera hiſtorici memorant, quæ non eſt hujus inſtituti conſiderare. Non abſurdum itaque videtur credere, idem in

(*a*) *L. L. l.* iv. (*b*) *Matt.* v. 26. (*c*) *Marc.* xii. 42. (*d*) *Ad dictum Matt. locum.*

in uſu Romanis primum veniſſe, atque nobis hodie in Anglia, ratione nummi iſtius argentei, qui vocatur *a ſhilling*. Nummus enim hic in duodecim partes æquales, *pence* dictas, dividitur: quarum nihilominus quinque tantum percutiuntur, quæ *unciæ*, *ſextanti*, *quadranti*, *trienti*, ac *ſemiſſi* reſpondent. Nec ratio deeſt, cum hæ ſolummodo unciales partes ſeorſim acceptæ, certo earum numero, ut duodecim *unciæ*, ſex *ſextantes*, et ſic de reliquis, aſſem conſtituent. Atque hanc *primam* aſſis *diſtributionem* appellat Mæcianus (*a*). Quid, quod ex his reliquæ partes facile conficiantur? Nam ex quinque unciis, duobus ſextantibus et uncia, quadrante et ſextante, aut triente et uncia fiet *quincunx*, et ſimilis ratio in cæteris. Novi quidem Mæcianum partibus æqualibus jam dictis, quæ per ſe aſſem conficient, etiam *ſeſcunciam*, quæ eſt octava pars aſſis, ſeu uncia cum dimidio; item *unciam duas ſextulas*, quæ eſt pars nona, ſive uncia cum parte tertia, annumerare. Atque partes iſtæ profecto in aliquibus rebus diſtribuendis commodæ ſatis eſſe poſſent; ideoque ab illo haud omitti debuerunt, qui aſſem et partes ejus ita diviſit, ut diſtributio utilis eſſet, *ſeu de diviſione ſolidi*, *ſeu de pondere*, *ſeu de numerata in ære pecunia agatur*, quemadmodum ipſe in fine libelli ſui teſtatur. Sed nullo modo hinc ſequitur, nummos olim iſtiuſmodi, qui proportionem illam ad aſſem habuerint, re ipſa percuſſos fuiſſe.

In eo igitur lapſus eſſe videtur Ant. Auguſtinus (nec is ſolus) cum Mæciani notas in nummis exprimi ſolitas exiſtimet (*b*). Quod ideo magis quis miretur, cum paulo ſupra, in loco ex eo jam adducto, illas ita deſcripſerat, ut in ipſis nummis hodie conſpiciuntur.

(*a*) *De aſſis diſtribut.* (*b*) *Dialog.* i.

ciuntur. Quo autem res manifeſtius appareat, utraſque e regione ſui hic collocabimus.

Notæ quantitatis,

In nummis.		Mæciani.
I *	as	
S vel ꝺ	ſemis	S.
o o o o	triens	══.
o o o	quadrans	═—.
o o	ſextans	═.
o	uncia	—.

Ex hac tabella omnes iſtas notas, præter eam *ſemiſſis*, plane diverſas eſſe videmus. Cæterum compendii cauſa in rationibus conficiendis Mæciani notas adhiberi ſolitas, pluribus oſtendit acutiſſimus ingenio Gronovius (*a*). Quod et pulcherrimo exemplo, ex vita Baſilii, a Conſtantino Porphyrogenneta ſcripta, confirmat. Cujus verba, quia rem de qua loquimur haud parum illuſtrant, hic adſcribere non pigebit. Ὁρῶν ὅτι ἔξί τις τοῖς πονηροῖς εἰς τὸ ἀδικεῖν ἀφορμὴ, ἀπὸ τοῦ, ἀφ' ὅ σωτομεν, τοῖς τῶν ἀριθμῶν μορίοις καὶ μέρεσι, τοῦ ἡμίσεως, καὶ τῶν ἕκτου, καὶ δωδεκάτου τυχὸν, κεχρῆσθαι τὸς παλαιὸς, ἐν ταῖς ἀναλογαφαῖς τῶν φόρων εἰσπράξεως· ἠθέλησε καὶ τοιαύτην τὴν ἀδικεῖν βουλομένων ἀφορμὴν ἀφελεῖν, καὶ διωρίσατο, καὶ γράμμασι λίθοις, ἃ καὶ πᾶς ἀγροίκοις ἀναγινώσκειν ἔξι ἐν δυνατῷ, καὶ ὁλοσαφοῖς καὶ φανεραῖς τῶν ψήφοις τὸ δηλουμένης ποσότητος, τὸς τῶν ἐπαιτήσεων γραφεὺς τόμους, οἰκοθεν τοῦ εἰς τοῦτο τάξας ἀνάλωμα, καὶ τῶν χαρτίων καὶ τῆς γραφῆς, ὡφελὸς τοῦ μὴ ἀδικεῖσθαι τὸς πένητας (*b*). Ubi nota ἡμίσεως, quam vetuit Baſilius, reſpondebat S. Mæciani; ἕκτου, ═.; δωδεκάτου, —.; ut explicat Gronovius: licet

c cet

* L. *etiam, ut aliam aſſis notam, adjicit Auguſtinus, quam et Priſcianus agnoſcit; ſed quia in nummis nondum vidi, ideo non appoſui.*

(*a*) *De pecunia vet. l.* iii. *c.* 10, 11, 12. (*b*) *lib. L.* iv. *c.* 18.

cet Græci quidem eo tempore literas numerales in iſtum uſum adhiberent. Quod autem ſcribit celeberrimus Patinus, *in altera nummorum parte* notas iſtas quantitatis inſigniri : in omnibus fere id genus nummis, quos hactenus unquam vidimus, ubi omnino exprimebantur, in utraque parte ſemper invenimus.

Sed priuſquam de aſſibus imminutis dicamus, nobilis quæſtio hic occurrit, a doctis plurimum agitata; nimirum quid per *æs grave*, toties veteribus memoratum, intelligi debeat. Budæus, quem et alii ſecuti ſunt, de *ære rudi* intelligit, et opponit *ſignato*. Nam ita ſcribit : *Fuit autem hic ordo rei nummariæ, ut primum Romani ære gravi, id eſt nummo rudi et informi, uſi ſint : poſtea ære ſignato* (*a*). Cui ſententiæ favet Iſidorus, ſic ſcribens : *Signatum eſt, quod in nummis eſt : infectum, quod in maſſis eſt ; quod et* grave *dicitur, id eſt* maſſa (*b*). Et clarius etiam Servius : *Pro hoc ære gravi donatus eſt, id eſt maſſis. Nam ſic et Livius* argentum grave *dixit, id eſt* maſſas (*c*). Voſſius autem hanc ſententiam improbans, *æs grave* opponi *imminutis aſſibus*, ut *rude* opponitur *ſignato*, contendit (*d*) : quod de illis temporibus dicitur, cum æs diu jam fuerat ſignatum. Ita Livius, de re quæ accidit anno urbis 354 : *Incitata plebs denis millibus æris gravis eos condemnavit* (*e*). Gronovius igitur exiſtimat, dum as librali fuit pondere, nomen æris gravis ignotum fuiſſe, quia nulla ratio eſſet diſcriminis ; at imminuto aſſe, et de ſignato, et rudi intelligi poſſe (*f*). Certe appenſum fuiſſe diſertim affirmat Feſtus : *Pendere pœnas, ſolvere ſignificat, ab eo, quod ære gravi cum uterentur*

(*a*) *De aſſe, l.* i. (*b*) *Orig. L.* xvi. *c.* 17. (*c*) *Ad Æn.* vi. *v.* 861. (*d*) *Etymol. in voce* As. (*e*) *Lib.* v. *c.* 12. (*f*) *De pecun. vet. l.* iii. *c.* 15.

uterentur Romani, penſo eo, non numerato, debitum ſolvebant (*a*). Item Plinius, ut ſupra vidimus, cum ſcribit: *Librales appendebantur aſſes. Quare æris gravis pœna dicta.* Contra autem haud minus clare Livius, *Indicibus*, ait, *dena millia gravis æris, quæ tum divitiæ habebantur, ex ærario numerata* (*b*). Ut Livius itaque cum Plinio, Feſto, Servio, et Iſidoro conciliari poſſit, æs grave tam appenſum, quam numeratum fuiſſe dicendum eſt: et cum appenderetur, ut in ſummis majoribus, aut aſſes iſtos librales, quorum ponderis ſolummodo tunc ratio habebatur, *maſſas* appellari; aut rudes etiam maſſas, ſeu laminas, poſt æs ſignatum, aliquandiu ſaltem, in uſu ſimul manſiſſe. Singularis autem eſt ea opinio Kuſteri, qua ſtatuit *appellatione æris* gravis *comparari a veteribus quodcunque æreorum nummorum genus cum argento et auro ſignato, quæ metalla pondere æri longe cedant: atque adeo idem eſſe revera, ſive dicatur* æs grave, *ſive* æs *abſolute.* Sed hæc nova ſententia reſponſum accepit a clariſſimo Perizonio, qui cum Gronovio conſentit (*c*). Et profecto grave æs a pondere dici Feſtus expreſſe ait: *Grave as dictum a pondere, quia deni aſſes, ſinguli pondo libras, efficiebant denarium, ab hoc ipſo numero dictum* (*d*). Porro ex iis quæ diximus, per *æris gravis pœnam*, cujus meminit Plinius, *multam*, ſeu *pœnam pecuniariam*, veteres intellexiſſe, ſatis manifeſto conſtat.

Sed reſtat adhuc haud parva difficultas, eo quod *æris gravis* appellatio iis temporibus nonnunquam, licet rarius, a ſcriptoribus tribuitur, cum aſſes diu jam fuerint imminuti. Nam ita Livius, de ſervili tumultu Setiæ deſtinato loquens, anno urbis 554, *Egregia,*

(*a*) *In voce* Pendere. (*b*) *L.* iv. *c.* 45. (*c*) *Diſſert. De ære gravi, p.* 32, &c. (*d*) *In voce* Grave.

gia, inquit, *duorum opera ſervorum indicum, et unius liberi fuit. Ei centum millia gravis æris dari patres juſſerunt; ſervis vicena quina millia æris, et libertatem* (*a*). Duorum igitur magni nominis virorum diverſas ſententias, quibus hanc rem explicare conantur, proferemus, eruditi lectoris judicio, utra magis arrideat, relinquentes. Altera eſt illa Gronovii, ita ſcribentis: *Cogitemus factum Romæ, quod fit hodieque apud Sueones. Sunt nummi ærei: ſunt etiam maſſæ grandes quadratæ, in quatuor oris et medio alterius lateris ſignatæ. Ita credi poſſit uſum nummorum non ſtatim ſuſtuliſſe uſum maſſarum.* Æs grave *tum dixerint Romani et maſſas hujuſmodi ſignatas, poſtquam nummi pondus imminutum eſt. Sed illarum maſſarum pretium crevit pro ratione nummi. Tanquam aſſe ſextantario facto, maſſa* XX. *librarum, quæ prius valuerat vicenos æris, tum* CXX. *aſſes valuit: aſſe unciario, eadem maſſa* CCXL. *aſſes valuit: aſſe ſemunciario, eadem maſſa pro* CCCCLXXX. *aſſibus appenſa eſt. Quibus igitur legimus donata decem millia* æris gravis, *poſt levatum pondus nomiſmatum, eos intelligere poſſumus accepiſſe tantum aſſium in maſſis hujuſmodi* (*b*). Altera ſententia eſt Perizonii, qui in eo cum Gronovio conſentit, quod *æs grave* haud ſtatim poſt aſſis imminutionem e commerciorum uſu ſublatum fuiſſe credat. Non diu tamen uſum ejus manſiſſe autumat; quia illud ſervare, et ad commercia adhibere, valde moleſtum fuit: præterea argentum tunc indies incredibilem in modum Romæ invaleſcebat; quo factum eſt, ut poſtea majores ſummæ non per *millia æris* ſeu *aſſium*, ſed per *ſeſtertios* plerumque conficerentur. Cæterum nihilominus neque nomen *æris gravis*, neque priſca ratio ſummas aliquando

(*a*) *Lib.* XXXIII. *c.* 26. (*b*) *De Pecun. vet. L.* III. *c.* 15.

quando pecuniæ majores per illud conficiendi penitus deinceps auferebatur. Et quoties hoc fiebat, antiqua ista proportio decem assium ad denarium retinebatur. Sed ipsius Perizonii verba audiamus. *Pone*, inquit, *post imminutos asses mansisse grave æs per viginti quinque annos, aut amplius, qualicunque in commercio, prout opulenti quique plus minusve istius æris adhuc possidebant.* Spatium hic assignatum ei convenit, quod inter *asses sextantarios* et *unciales* intercessit, ut infra ostendemus. Ideoque hoc intervallo nihil erit difficultatis, cum *æs grave* de vetere isto *librali ære* intelligi possit. Sed pergit: *At dein, quia invalescebat jam in commerciis argenti usus majorem in modum, necessario pene sequi id debuit, ut molestum illud gravis æris onus paulatim plane abjiceretur; sed tamen quia censores ære illo adhuc dum censebant civium bona, et magistratus multas eodem ære taxabant, sic factum ut Romani in majoribus summis retinuerint ejus quoque appellationem, et ad istius æris rationem summas illas redegerint, sed cum significationis diversitate quadam ab ære tunc signato, si ad argentum utriusque æris summa reduceretur. Etenim æs grave retinebat suam relationem ad argentum, scil. ut decem asses responderent uni denario, quum æris tunc signati sedecim asses id facerent. Sic itaque si cui decreta essent decem millia* æris gravis, *accipiebat is* mille denarios; *at* sexcentos et viginti quinque *tantum, cui ea* æris tunc signati *summa esset decreta. Hac in re consistit totius quæstionis solutio. Neque vero sequitur, quia in summis illis nominatur* æs, *ergo solutionem etiam ipso ære factam; non magis quam omnia hominum bona, quia* ære *censebantur, constitisse in solo et vero ære* (a). Hæc ille. Ita in loco isto Livii supra memorato, *centum millia*

(a) *De ære gravi, p.* 84, 85.

millia gravis æris, indici data, *decem millibus denariorum* æqualia facit (*a*). Ratio hujus diſcriminis in eo collocatur, quod narrat Plinius : *Hannibale urgente Marcum, aſſes unciales facti : placuitque denarium ſedecim aſſibus permutari.* At quid ſi in ære ſolutio unquam poſt aſſes unciales fieri debuiſſet ? Hoc non explicat Perizonius. Nonne igitur *ære gravi* decreto, tot aſſes ſolutos dicamus, quot ſumma exprimeret ? Ita ſane proportio inter æs grave et denarium poſtulat. Veruntamen ſi cui decem millia *æris* decreta fuerint, voce *gravis* non adjecta, nec ullius aſſium generis mentione facta, modo quod ſolutio in ære fieri debuit : quis credat minorem numerum accipi debuiſſe, quam in decreto exprimebatur ? Sed ubi tunc diſcrimen inter *æs grave* et *æs* in iſtiuſmodi decretis ? Quid igitur ? in priori caſu ad *maſſas* iſtas Gronovii recurrendum eſt ? An vero id hic uſu veniſſe ſuſpicemur, quod de ſeſtertio et denario, ratione aſſis, monet Harduinus : nimirum in ſummis deſignandis, aliquandiu ſaltem, poſt unciales aſſes, ſeu *gravis æris*, quod raro occurrit, ſeu *æris* tantum, apud veteres ſcriptores mentio fiat, primam illam proportionem *æris gravis* ad *denarium* pariter intelligi poſſe, ni auctor ipſe, aut loci ſententia, aliud plane indicet ? Luculentum profecto hujus rei exemplum exhibet Livius, narrans Catonem cenſorem, anno urbis 568, in cenſum referri juſſiſſe *ornamenta, mundum muliebrem, et vehicula, quæ pluris quam quindecim millium æris eſſent* (*b*). Hic *æris* tantum meminit Livius ; et tamen Plutarchus, rerum Romanarum optimus æſtimator, eadem referens, ita per antiquam proportionem exprimit, ac ſi vox *gravis* fuiſſet adjecta : Ὧν ἐκέλευε ὃ τίμημα δεκαχιλίας καὶ πενταχισ-

σίας

(*a*) *De ære gravi, p.* 110. (*b*) L. xxxix. c. 44.

σίας ὑπερέβαλλεν (*a*). Ubi *mille quingentæ drachmæ*, ſeu *denarii*, faciunt quindecim millia æris gravis; at aſſium uncialium, ſeu ſemuncialium, eſſent quatuor et viginti millia. Si res igitur ita ſe haberet, *æs grave* ante unciales aſſes certum nummi genus, aut ſaltem pondus deſignabat, poſtea vero priſcam ſolummodo relationem aſſis ad denarium. Mirum autem videri non debet, duplicem proportionem inter duo nummorum genera, eodem tempore, ſed diverſa ratione, hic aſſignari; cum Plinius expreſſe admoneat, *in militari ſtipendio ſemper denarium pro decem aſſibus datum fuiſſe*. Neque in aliis nationibus id inuſitatum eſt, nummis iſtiuſmodi ſummas taxari, qui deſierunt eſſe in uſu et commercio. Ita apud nos aliquando ſummæ deſignantur per *marks* et *nobles*, qui tamen nuſquam comparent. Sed hæc de *ære gravi*, re haud parum obſcura et difficili, ſint dicta: jam ad aſſem *ſextantarium* pergamus.

Librale pondus æris, ut ſcribit Plinius, *imminutum bello Punico primo, cum impenſis reſpublica non ſufficeret: conſtitutumque ut aſſes* ſextantario pondere *ferirentur. Ita quinque partes factæ lucri, diſſolutumque æs alienum.* De pondere et æſtimatione cum Plinio conſentit Feſtus. *Bello Punico*, inquit, *populus Romanus preſſus ære alieno, ex ſingulis aſſibus librariis ſenos fecit, qui tantundem valerent* (*b*). Alciati igitur commentum, Pliinii verba ſic mutantis, ut *dextantario pondere*, et mox *quinta parte facta lucri* legat, non codicum modo conſpirans conſenſus, ut ait Harduinus (*c*); ſed Feſti quoque teſtimonium refellit. De tempore autem Feſtus a Plinio diſſentit, ita ſcribens: *Propter bellum Punicum*

(*a*) *In vita M. Caton.* (*b*) *In voce* Grave. (*c*) *Num. Ant. illuſtr. p.* 550.

Punicum ſecundum, quod cum Hannibale geſtum eſt, decreverunt patres, ut ex aſſibus, qui tum erant librarii, *fierent* ſextantarii. Addit etiam: *ſeptennio quoque uſus eſt* (*a*). At Plinius ad Q. Fabii dictaturam duraſſe ait, *quæ a fine belli Punici primi fuit viginti quinque annis poſterior*, ut ad locum iſtum Feſti obſervat A. Auguſtinus. Sed in hac opinionum diſſenſione, ut Plinium potius, quam Feſtum ſequatur, quis facile induci poſſit; non tantum quod Plinius ævis aliquot anteceſſit, quod in factis exquirendis multas opportunitates habet; ſed quia dedita opera rem tradit, cum alter obiter tantum de illa loquitur.

Sed pergit Plinius: *Poſtea Hannibale urgente Marcum, Q. Fabio Maximo dictatore, aſſes* unciales *facti: placuitque denarium ſedecim aſſibus permutari, quinarium octonis, ſeſtertium quaternis. Ita reſpublica dimidium lucrata eſt.* Narrat A. Auguſtinus, *et* XVI. *notam in denariis, ut* VIII. *in quinariis aliquando* ſe vidiſſe; *at in ſeſtertiis* IIII. *nunquam.* Nec illam notarum *varietatem diu duraſſe, ſed veteres notas ſtatim revocatas* exiſtimat (*b*). Profert etiam Patinus denarium nota XVI. in gente *Titinia*, et alium ſimili nota in gente *Valeriana*. Factum eſt autem hoc *anno urbis fere* 537, ut ex Livio colligit Harduinus (*c*). Quomodo autem reſpublica dimidium hic lucrata eſt, idem ſic explicat, quod ab aliis fruſtra tentatum dicit. *Hæc*, inquit, *lucri ejus ratio gemina fuit. Antiquata enim vetere pecunia ex ære argentoque, aſſibuſque ſextantariis interdictis, unciales cuſi ſunt, hoc eſt, in ſingulas libras duodeni, cum prius tantum ſeni ferirentur. Conſluente deinde ad ærarium publicum plebe, ut pro ſextantibus no-*

vos

(*a*) *In voce* Sextantarii. (*b*) *Dialog.* i. (*c*) *Num. ant. illuſtr. p.* 551.

vos asses acciperet, nihil damni plebs capiebat, cum ejusdem valoris ac pretii, quanquam ponderis diversi, asses referret: respub. sive ærarium dimidium lucrabatur. Rursum concurrente eadem, ut æream monetam acciperet pro argentea vetere, quæ tum erat edicto antiquata, pro denariis singulis asses sedecim domum referebat, nullo ipsius damno, imo sex assium facto, ut apparet, lucro: nam decem tantum assibus denarius olim taxabatur: tum vero sedecim. Minoris hi quidem asses, ut diximus, qui recens conflati, fuere ponderis: at pretii omnino cum prioribus illis æqualis. Verum reipub. et ærarii majus lucrum fuit. Nam e sextantariis assibus decem, qui denario argenteo prius permutabantur uno, cum vicenos conflavit asses unciales, deditque pro argenteo denario vetere, qui ad ærarium deferebatur, duntaxat sedecim, quaternos interim lucri fecit: deinde aucto novi argentei nummi pretio ad sedecim asses, iterum senos: igitur denos omnino: hoc est, quod Plinius ait, in singulos denarios dimidium lucrata est, sive denarium unum. Tantundem porro et eadem ratione fuit in quinarios, sestertiosque lucri (a). Sed quæ necessitas esset veteres denarios antiquandi, aut cui bono inserviret, haud ita clare percipio. Suffecerit enim populum veterem argenteam pecuniam ad ærarium attulisse, ut sedecim novos asses pro singulis denariis inde reciperet, quod jam inopia æreæ pecuniæ satis libenter faceret; unde quatuor asses lucrata est respublica, ut etiam sex alios, cum eosdem iterum denarios pro sedecim assibus solveret. Novam autem pecuniam argenteam eodem tempore percussam fuisse, veri perquam simile videtur; nec absurde conjicit Patinus denarium, quem in gente *Titinia* exhibet, hoc anno factum fuisse. Attamen

(a) *Ibid. p.* 552.

ſi veteres quoque argenteos nummos conflaviſſe ponamus, ut novi ejuſdem ponderis recuderentur, damnum exinde, tam metalli conſumptione, quam operis impenſis feciſſet reſpublica; ſin minus ponderis novi iſti nummi habuiſſent, plus lucri dimidio hac ratione eſſet conſecuta.

Mox, inquit Plinius, *lege Papiria* ſemunciales *aſſes facti*. Sed quis fuerit hic Papirius incompertum eſſe dicit Harduinus. Ad Papirium autem Turdum, qui tribunatum geſſit anno urbis 576, Pighium referre obſervat (*a*). Cæterum Jo. Arbuthnottus medicus, qui paucis abhinc annis Tabulas de veterum menſuris, ponderibus, ac nummis, ære eleganter inciſas edidit, anno urbis 586 tribuit.

Hactenus Plinium præcipue ducem ſecuti ſumus. Sunt tamen qui et ante Plinii tempus *aſſes* ad *ſicilicum*, hoc eſt quartam unciæ partem, redactos fuiſſe volunt. Vix autem credibile videtur, ſi res tunc ita ſe habuiſſet, Plinium, qui reliquas omnes imminutiones adeo diligenter annumerat, hanc poſtremam, ac ſuæ ætati proximam, omiſſurum fuiſſe. Atque hæc ſententia eſt Gronovii (*b*), ut etiam Harduini (*c*). Sed alii de ea re aliter ſentiunt. Salmaſius enim, referente Gronovio (*d*), aſſem ſub primis imperatoribus *ſicilicum* appendiſſe aſſeverat. Idem affirmat Snellius: quo autem auctore, aut quando cœptum, omnino haud liquere agnoſcit. Omni igitur veterum auctoritate, ut fatetur, deſtitutus, nummorum fide oſtendere conatur. Et inter alios unum *Neronis* exhibet, pondere paulo minus ſemunciali, cujus adverſa parte, ſub *Victoriæ* figura, numeralis nota II. inſcripta fuit, quam

(*a*) *Numm. ant. illuſtr. p.* 554. (*b*) *De pecun. vet. l.* iii. *c.* 15
(*c*) *Num. ant. illuſtr. p.* 554. (*d*) *Ubi ſupra.*

quam *dupondii* veterem esse notam ex eo pro certo statuit, quod *sestertius*, qui ab initio duos asses cum dimidio valebat, signo IIS. notaretur (*a*). Sin autem nota ista id, quod Snellius credidit, indicare designata fuerit, mirum est in pluribus nummis similis formæ ac ponderis illam non comparere. Meminit quidem de ea semel inter Neronis nummos diligentissimus Occo (*b*): sed rarissime profecto occurrit. Neque objici potest, XVI. notam in denariis rarissime conspici. Nam ut probabile videtur, quod sentit A. Augustinus, nota ista cito postea sublata, veterem X. fuisse restitutam; ita pauciſſimi denarii adeo vetusti hodie reperiuntur. At plurimi id genus ærei nummi, mediæ formæ, ut appellant, Neronis, aliorumque primorum imperatorum, ubique adhuc extant. Præterea difficile sit ex hac nota certi aliquid concludere, quæ in antiquis inscriptionibus tam varie accipitur. Conjecerim forsan *duumviros* coloniæ alicujus, seu municipii, ea denotatos fuisse, ni scirem in nummis II. VIR. fere exhiberi, et in quodam ejusdem imperatoris nummo ipse conspexissem, sub imagine *macelli*, quod Nero Romæ extruxit (*c*). Ad hæc si *as* tunc temporis *sicilici* pondere fuisset, *quadrans*, quem minimum Romanorum nummum appellat Plutarchus, *tremissem* tantum habuisset. Omnes autem, quos mihi videre contigit, minimæ formæ nummi, sub primis imperatoribus cusi, nec admodum triti, id ponderis longe superant, et *semissi* potius, quam *quadranti* plerumque conveniunt. Nonnullos hic, quos ex *Kempii* thesauro expendimus, rei declarandæ causa exhibebimus.

(*a*) *De re numm. p.* 4, *&c.* (*b*) *Imp. Rom. numm.* (*c*) *Vid. Kemp. num. p.* 29. *n.* 48. *sed nota ista* II. *in καπηλείῳ omissa est.*

			angl.	gr.
Pag. 47. *N.* 1.	Caius Cal.	*Pond.*	1	15 ½
2.	Claudius		1	19
3.	Nero		2	3 ½
4.	Veſpaſianus		1	18 ½
5.	Domitianus		1	16 ½
6.	Idem		1	21 ½
7.	Nerva		1	14 ½
8.	Hadrianus		2	9
93 — 5.	Tiberius		2	1 ½
6.	Caligula		2	18 ½

Sed aſſem revera ad *ſicilicum* aliquando fuiſſe redactum, ex locis quibuſdam fragmenti Cleopatræ, medici veteris, apud Galenum De ponderibus et menſuris, Snellius probare conatur. Verba Cleopatræ ſunt: Ὁ σατὴρ ἀγχ δραχμὰς δ', καλοῦσι ὃ αὐτὸν τετράδραγμον ἢ ὃ διπέντιον ὃ ὁμοίως ἀγχ δραχμὰς δ'. Et rurſum: Ἀσσάριον ἔχ δραχμὰς ϛ'. Atque initio: Καλεῖται ὃ ὕγια τετράσσαριον Ἰταλικόν (*a*). Attamen nihil hæc contra ea, quæ jam diximus, demonſtrant. Nam Galenum quidem ſub Antoninis claruiſſe, ac tandem Severo imperante mortuum eſſe oſtendit Labbæus (*b*): Cleopatræ vero ætas omnino incerta eſſe videtur; de quo neque Voſſius, neque Petrus Caſtellanus, qui de medicis antiquis ordine temporis tractarunt, ullam mentionem faciunt.

Cum difficile autem omnino ſit æreos nummos poſt ſuſceptum imperium antiqui aſſis partibus attribuere, nuperi auctores, qui de iis ſcripſerunt, longe faciliorem viam ingreſſi, ratione magnitudinis habita, in *tres* claſſes, ſeu *formas* diviſerunt, quas *magnam*, *mediam*, ac *mini-*

(*a*) *Apud Snell. De re numm. p.* 26. *Et Du Freſne in Gloſſ. Græc.*
(*b*) *Apud Fabric. B. Græc. l.* iv. *c.* 17.

minimam appellant. Et hi omnes plerique nummi, Romæ saltem percussi, nota S. C. insigniti conspiciuntur, qua *senatus auctoritate* factos indicatur. Quæ autem hos mole ac pondere numismata excedunt, et nota ista carent, vulgo *maximæ formæ* omnia vocantur, Italis *medaglioni*; quanquam et magnitudine, et gravitate, et delineatione longe inter se discrepent. Atque hæc sola in pecuniæ usum cusa non fuisse, communis fere hodie doctorum est sententia. Duplicem iis usum tribuit Savotius. *Medaliones*, inquit, *isti, ut multi credunt, solennitatis et delectationis gratia cusi fuerunt, quos imperatores in largitionibus publicis, cum vel congiarium populo, vel donativum militibus darent, distribuerunt; non quidem more missilium in turbam eos spargentes, quod fecit Eliogabalus (potuissent enim facile lædere et sauciare eos, in quos incidissent) sed loco eorum jactantes tesseras, vel exiguos calculos, quibus pro lubitu valor assignabatur; adeo ut qui eos collegisset vel rapuisset, postea illa ipsa dona acciperet, quorum notam tesseræ inscriptam habebant.* Mox: *Cæterum non absque verisimilitudine affirmari etiam posset, medaliones eidem usui apud veteres inserviisse, cui hodie inservire solent monetæ*, pieds forts *appellatæ*; *quæ nihil aliud sunt, quam* testimonia probatæ pecuniæ. *Iisdem* igitur *figuris et epigraphis insignita, quibus præditæ erant monetæ in quotidianis commerciis adhibendæ, cudebantur*; sed *non majori numero, quam quo opus erat ad donum imperatori, ejusque ministris primariis, nec non officinæ monetariæ præfectis offerendum. Quæ ratio etiam afferri posset, quare illi multo sunt rariores, quam alii nummi, qui commerciorum usui destinabantur* (*a*).

Numismata autem et *nummos* ita nonnulli distinguunt,

(*a*) *De nummis ant. Par.* i. c. 8. *Vide etiam Pat. Hist. num.* c. 5, 19.

guunt, quaſi priora a negotiationibus fuerint exempta, quibus poſteriores deſignabantur. Verum hoc non eſſe perpetuum, ſed utroque vocabulo *pecuniam* aliquando ſignificari, veterum ſcriptorum loca quædam oſtendunt. Ita Horatius:

Gratus Alexandro regi magno fuit ille
Chœrilus, incultis qui verſibus, & male natis,
Rettulit acceptos, regale numiſma, *Philippos* (*a*).

Similiter Martialis:

Cum data ſint equiti bis quina numiſmata, *quare*
Bis decies ſolus, Sextiliane, bibis (*b*)?

Ad ſitim levandam in ſpectaculo longius producto, diſtributa viritim equitibus decem numiſmata, ſcribit hic Farnabius: quod nec Gronovio diſplicet.

Et in alio loco:

Sextiliane, bibis quantum ſubſellia quinque
Solus, aqua toties ebrius eſſe potes,
Nec conſeſſorum vicina numiſmata *tantum,*
Æra ſed a cuneis ulteriora petis (*c*).

Nonnunquam tamen *numiſmata* a *nummis*, ſeu pecunia, diſtingui ex jure Romano apparet. Nam ita ſcribit Pomponius: *Nomiſmatum aureorum vel argenteorum veterum, quibus pro gemmis uti ſolent, uſusfructus legari poteſt* (*d*). Sin autem *pecuniæ uſusfructus legatus ſit, ita datur legatario, ut ejus fiat, et legatarius ſatisdet heredi de tanta pecunia reſtituenda.* Quo caſu non proprie *uſumfructum*, ſed *quaſi uſumfructum conſtitui* decernit Juſtinianus (*e*).

Sed movet hic quæſtionem Erizzus (*f*), numiſmata illa, in quibus imperatorum Romanorum, eorumq; conjugum, liberorum, et ſucceſſorum imagines conſpiciuntur,

(*a*) *L.* ii. *Ep.* 1. *v.* 232. (*b*) *Ep. L.* 1. 12: (*c*) *Ibid. Ep.* 27
(*d*) *Dig. l.* 28. *de uſufructu.* (*e*) *Inſt. lib.* ii. *t.* 4. § 2. (*f*) *Di*
ſcorſo ſopra le medaglie de gli antichi, &c.

untur, in communem pecuniæ uſum olim adhibita fuiſſe negans: eo præcipuo, ut videtur, argumento adductus, quoniam imagines iſtas, quas numinum inſtar Romani coluiſſe leguntur, quotidiano uſu et tractatione violari indecorum fuiſſet. At multa veterum teſtimonia huic ſententiæ refragantur. Inter honores enim a ſenatu Julio Cæſari decretos, ἐς τὰ νομίσματα ἐνεχάραξαν, ut auctor eſt Dion (*a*). Auguſtus etiam, ut narrat Suetonius, *nummum argenteum nota ſideris capricorni, quo natus eſt, percuſſit* (*b*). Cujus generis nummi, altera parte Auguſti capite ſignati, non ex argento tantum, ſed ex omni materia etiamnum extant. Idem quoque e ſacro Evangelio probatur, ubi ἡ εἰκὼν καὶ ἡ ἐπιγραφὴ Καίσαρος in νόμισμα fuiſſe dicitur, quem νόμισμα τοῦ κήνσου Servator noſter ibidem vocat (*c*). Denique Neronem *ſtatuas ſuas citharœdico habitu* ornaſſe, *qua nota etiam nummum percuſſit*, teſtis eſt Suetonius (*d*). Nummum iſtum ex ære, cum Neronis capite parte adverſa, in notis ſuis ad hunc Suetonii locum exhibet Patinus.

De *nummis argenteis* non eſt inſtituti noſtri pluribus differere. Cum hi autem æſtimationem ſuam ex proportione ad aſſem primum acceperint, ac neque de æreorum, neque argenteorum numero inter omnes conveniat, illorum explicatio ſine his haud ſatis commode expediri poteſt. Varro, poſt æreos nummos explicatos, de argenteis ſic loquitur: *In argento nummi, id a Siculis:* denarii, *quod denos æris valebant:* quinarii, *quod quinos:* ſeſtertius, *quod ſemis tertius. Nummi denarii decuma* libella, *quod libram pondo as valebat, et erat ex argento parva:* ſembella, *quod*

(*a*) *H. R. Lib.* xliii. (*b*) *In Auguſt. c.* 94. (*c*) *Matt.* xxii. 19, 20, 21. (*d*) *In Neron. c.* 25.

quod ſit libellæ dimidium, quod ſemis aſſis : teruncius *a tribus unciis, ſembellæ quod valet dimidium, et eſt quarta pars, ſic ut quadrans, aſſis* (*a*). Hæc ultima verba loco iſti Evangeliſtæ, quem ex Caſtalionis verſione ſupra attulimus, lucem fœnerantur. His Plinius adjicit *victoriatum, qui lege Clodia percuſſus eſt, antea ex Illyrico advectus.* Cæterum *victoriatum* ejuſdem æſtimationis fuiſſe, atque *quinarium*, indicat Mæcianus. *Denarius*, inquit, *primo aſſes decem valebat, quinarius dimidium ejus, ſeſtertius duos aſſes et ſemiſſem. Nunc denarius ſedecim*, victoriatus *et* quinarius *octo, ſeſtertius quatuor aſſes valet* (*b*). Proinde *denarii nota*, ut ſcribit A. Auguſtinus, *fere eſt* X. aliquando *tranſverſa virgula* X. *quinarii, ſeu victoriati* V. *ſeſtertii* IIS. *nam qui ſic depingunt* HS. *rem obſcurant* (*c*). Sed *quinarii* etiam alteram notam Q. fuiſſe obſervat Harduinus (*d*). Atque hæc ponderis, ſeu æſtimationis ſigna fuerunt. De imaginibus autem in argenteis nummis expreſſis ita ſcribit Plinius: *Nota argenti fuere* bigæ *atque* quadrigæ, *et inde* bigati quadrigatique *dicti.* Quæ ſane *bigati* et *quadrigati* nomina apud Livium ſæpius occurrunt. Victoriatum autem a figura *Victoriæ*, qua ſignatus fuit, nomen traxiſſe a Plinio diſcimus. Et hæ forſan imagines argenteis nummis primum exprimebantur; poſtea vero plurimas alias fuiſſe adjectas, omnes ſciunt, qui in veteribus Romanorum nummis vel parum verſati fuerunt.

Nonnullorum eſt opinio *aſſem* aliquando *ex argento* factum fuiſſe. Ita Arbuthnottus in Tabulis, quarum ſupra mentionem fecimus. Sed quibus argumentis freti ita ſtatuant neſcio. Legimus quidem apud Plutarchum

(*a*) *L. L. l.* iv. (*b*) *De aſſis diſtribut.* (*c*) *Dial.* i. (*d*) *Num. ant. illuſt. p.* 549.

tarchum : Ἀσσάριον γὰρ ἦν τὸ ἀργύριον, καὶ τὸ δηνάριον ἑπτάχαλκον ὥσπερ ἐκαλεῖτο δηνάριον. Verba autem, quibus hæc ſententia proxime ſubjicitur, ſic ſe habent : Ὥφλε δὲ δίκλινι ἐρήμῳ, τίμημα μυρίων καὶ πεντακισχιλίων ἀσσαρίων ἔχουσαν· ὃ γίνεται πρὸς ἀργυρίου λόγον, χίλιαι δραχμαὶ καὶ πεντακόσιαι (*a*). Ex hiſce igitur duabus ſententiis inter ſe collatis, vocabulum ἀργύριον duplici ſenſu a Plutarcho hic accipi manifeſtum eſt : in altera enim ἀσσαρίῳ opponitur, in altera vero, ut ſpeciem, continet. Sed optime rem explicat Phavorinus, ita ſcribens : Ἀργύριον, πᾶν νόμισμα, εἴτ' ἐν χαλκῷ, εἴτ' ἐν ἀργύρῳ, εἴτ' ἐν χρυσῷ. Fieri etiam poteſt, ut quod Alexander ab Alexandro obſervat, iſti opinioni anſam præbuerit. *Argenteo*, inquit, *nummo primum figurato Romæ, altera parte* Janus bifrons, *altera* navis prora *incuſſa fuit* (*b*). Atque id genus nummi apud Patinum in gente *Fonteia* reperitur (*c*). Cui in omnibus fere perſimilem, ab amico acceptum, jam exhibuimus. Cur autem *as* potius, quam *denarius* appellari debeat, cum denarii conſularis ſit ponderis, nullam rationem video.

Sed ut quidam *aſſem argenteum*, ita alii *æreum denarium* nobis confinxerunt. Horum numero eſt Hotomannus, cujus præcipuum argumentum ex verbis illis Macrobii petitur : Æs *ita fuiſſe ſignatum* [Jano ſcil. et nave] *hodieque intelligitur in aleæ luſu : cum pueri* denarios *in ſublime jactantes*, capita aut navia, *luſu teſte vetuſtatis, exclamant* (*d*). Ubi non neceſſe eſſe ut *æreos denarios* intelligamus, ex iis quæ de effigie *Jani* et *navis* in argenteis nummis jam diximus, ſatis conſtat. Quanquam nec opus omnino eſſe videtur,

(*a*) *In Camillo.* (*b*) *Genial. Dies, l.* iv. *c.* 15. (*c*) *Fam. Rom.* (*d*) *Saturnal. l.* i. *c.* 7.

ut ſigna iſta denariis, quos pueri ita jactabant, expreſſa fuiſſent, quæ Macrobii ætati vix conveniunt, licet vetuſta illa nomina in luſu retinuerint. Quemadmodum et apud nos, qui nummos argenteos eo modo jactant, dicere ſolent, *heads or women*; etſi *effigies muliebris* non niſi in æreis nummis ſignetur. Nec majoris ponderis eſſe argumenta, quæ pro *aureis denariis* adducit, cenſet eruditiſſimus Gronovius; qui non Romanos, ſed peregrinos, ἡμιχρύσους vel *dimidiatos ſtateras* Græcorum, fuiſſe affirmat (*a*). Contra autem Harduinus ex loco iſto Plinii, toties a nobis jam laudato, Romanos etiam aureos fuiſſe denarios contendit. Verba ſunt: *Poſt hæc placuit* X. XL. *ſignari ex auri libris.* Ubi priorem literam X. *denarii* notam eſſe dicit (*b*).

Veruntamen cum in verba iſta Plinii incidimus, aliam difficultatem in iis, quæ de *aureo nummo* ibidem ſcribit, præterire nequeo. *Aureus*, inquit, *nummus poſt annum* LXII. *percuſſus eſt, quam argenteus, ita ut ſcrupulum valeret ſeſtertiis vicenis: quod effecit in libras, ratione ſeſtertiorum qui tunc erant, ſeſtertios* DCCCC. Poſteriorem hujus ſententiæ partem, omnes qui de re nummaria ſcripſerunt, aut *intactam, tanquam foveam, prætergreſſos*; aut perperam interpretatos ante ſe, affirmat Harduinus. Ipſe autem in hunc modum explicat: *Effecit hæc major auri æſtimatio, ut in libras auri ſingulas reſpub. lucri faceret ſeſtertios nongentos, eorum ſcil.* ſeſtertiorum qui tunc erant, *hoc eſt, anno* 547, *quique jam ab anno* 537 *quaternis aſſibus permutabantur. Quod ſi nongentos ſeſtertios ejuſcemodi lucrata reſpub. eſt, igitur ſeſtertios* MCCCCXL. *lucratam eſſe neceſſe eſt eorum ſeſtertiorum, qui prius erant, hoc eſt, qui*

(*a*) *De pecun. vet. l.* iii. *c.* 15. (*b*) *Numm. ant. illuſtr. p.* 559.

qui duobus assibus et semisse æstimabantur. Continentur enim hi MCCCCXL. *in nongentis, ita ut ne unus quidem aut desit, aut superet. Quare quod nunc vicenis sestertiis vulgaribus, assium scil. duorum cum semisse, quorum sestertiorum haberi ratio solet in quovis pretio indicando: quod, inquam, vicenis illis sestertiis permutatum dicitur auri scripulum, quindenis antea necesse est fuisse taxatum: ut in singula scripula lucrata respub. sit quinque sestertios: in libras, quæ scripula* 288 *continent, sestertios* MCCCCXL. *In libras, inquam, auri infecti; quod in erario servabatur, quodque interdum distrahebatur ad vasa, operaque publica ac privata* (*a*).

De *sestertio* quoque res non ita facilis est expeditu: quem non *argenteum* modo fuisse, sed et *æreum*, idque stante adhuc republica, et sub primis imperatoribus, multi contendunt. Snellio sunt *ærei maximi, unciali fere pondere aut paulo infra* (*b*). In quo quidem secum consentit, cum illos, quos *mediæ formæ* appellant, *dupondios* tunc temporis fuisse statuat, ut jam supra ostendimus: Dubium facit Plinii quidam locus, ubi scribit: Æris *summa nunc in Marianum conversa, quod et Cordubense dicitur. Hoc a Liviano Cadmiam maxime sorbet, et Oricalci bonitatem imitatur in* sestertiis, dupondiisque, *Cyprio suo* assibus *contentis* (*c*). Gronovius autem, qui ne ex his quidem verbis sibi persuadere potest, æreos sestertios diu post Plinii tempora percussos fuisse, licet difficultatem adnoscat, conjicit tamen forte legendum, *sesquassibus, dupondiisque*. Nam meminit *sesquassis* Didymus: meminerunt Glossæ, *sesquas*, ἐν ἥμισυ ἀσσάριον, χαλκοῦ ἕξ. Et hos solos æreorum nummorum asse majores fuisse, ex quo pondus æris imminutum

 est,

(*a*) *Ibid. p.* 556. (*b*) *De re numm. p.* 24. (*c*) L. XXXIV. *c.* 2.

eſt, exiſtimat (*a*). Sequentibus quidem ſeculis *æreos ſeſtertios* ex Aureliani imperatoris literis, ad legatum Thraciarum ſcriptis, nonnulli eliciunt. *Dabis*, inquit, *aureos Philippeos centum, argenteos Antoninianos mille, æris* IIS. *decies* (*b*). Sed tanta ea tempeſtate nominum erat confuſio, ut, ſi fides Salmaſio, *ærei* ſimpliciter, *ærei ſeſtertii*, *ærei denarii*, et *folles* de eodem pecuniæ genere dicerentur (*c*).

Seſtertium unum argenteum, cum nota IIS. *cimelium ſuum aſſervare* narrat Harduinus (*d*). Quod plures autem temporis injuriam non effugerunt, quam adhuc comparet, exili formæ tribuerim: quam etiam ob cauſam, ut opinor, *quinarii* præ *denariis* adeo ſunt rari. At nihil uſitatius antiquis ſcriptoribus numerandi ratione per ſeſtertios, quod adeo frequenti uſu fuit Romanis, ut ubi vox *nummus* ſine adjectione occurrat, de *ſeſtertio* ſemper intelligi critici quidam jubeant (*e*). Ita Cicero: *Cum eodem Apronio poſtea P. Scandilius, eques Romanus, quem vos omnes noſtis, eandem ſponſionem de ſocietate fecit. Facta eſt ſponſio* IIS. v. millium: *cæpit Scandilius recuperatores, aut judicem poſtulare* (*f*). At paulo poſt de eadem pecunia loquens, *Cogit*, inquit, *Scandilium* quinque *illa* millia nummum *dare, atque adnumerare Apronio* (*g*). Hoc tamen an ſit perpetuum, in dubium vocat Alexander Sardes (*h*), eo quod Plinius ſcribit, *veniſſe murem* cc. nummis, *Caſilinum obſidente Hannibale* (*i*): quem *ducentis denariis* venditum dicit V. Maximus (*k*). At utrum Plinius eandem ſummam, ac Val. Maximus deſigna-

re

(*a*) *Loco proxime laudato.* (*b*) *Apud Vopiſcum in Boneſo.* (*c*) *Ad dictum Vopiſc. loc.* (*d*) *Num. ant. illuſtr. p.* 549. (*e*) *Vid. Budæum, l.* i. *de aſſe.* (*f*) *Lib.* iii. *in Verr.* 135. (*g*) *Ibid.* 140. (*h*) *De numm. Vid. etiam Gravium, De denar. p.* 50. (*i*) *L.* viii. *c.* 57. (*k*) *L.* vii. *c.* 6.

re voluerit, an diverſam, incertum reddere videtur Frontinus, qui, de eadem re loquens, *centum denariis* murem veniſſe ait (*a*). Dicitur etiam aliquando conjunctim, *nummus ſeſtertius*. Sic apud Ciceronem : *Ecquis eſt ex tanto populo, qui bona C. Rabirii Poſtumi* nummo ſeſtertio *ſibi addici velit* (*b*) ? Cum autem ſummas per *ſeſtertios* conficiendi ratio, prout intra certum nummorum numerum contineantur, aut eum excedant, haud uno modo conſtituatur, non abs re erit paucis hic eam exponere.

Ab *uno* igitur uſque ad *mille* recto caſu, et ſine ulla ſermonis præciſione, ut in aſſibus numerandis, loquuntur. Ita dicunt *ſeſtertii decem, viginti, triginta, centum, ducenti, mille*. Cæſar *noviſſimo teſtamento*, ut memorat Suetonius, *populo hortos circa Tiberim publice, et viritim* trecenos ſeſtertios *legavit* (*c*). Et alibi de eodem Cæſare verba faciens, *Annuam*, inquit, *habitationem Romæ uſque ad* bina millia nummum, *in Italia non ultra* quingenos ſeſtertios *remiſit* (*d*).

Cum numerus autem *mille ſeſtertios* exceſſit, et tamen infra *decies centena millia* fuit, duplici loquendi ratione utebantur. Prior erat ſimpliciſſima, cum dixere *bis mille*, vel *bina millia, octo millia, viginti, triginta, centum, ducenta millia ſeſtertium*, vel *nummum*. Unum exemplum jam adduximus. Alterum ſit illud Plinii : *Aſinius Celer unum* [ſcil. mullum] *mercatus* octo millibus nummum (*e*). Similiter et junior Plinius : *Eſſe tibi* centum millium *cenſum ſatis indicat, quod apud nos decurio es. Offero tibi ad implendas equeſtres facultates* trecenta millia nummum (*f*).

Altera loquendi ratio fuit, qua vocabulum *mille* non expri-

(*a*) *Strat. l.* iv. *exemp.* 20. (*b*) *Pro. Rab. Poſtumo*, 45. (*c*) *In J. Cæſ. c.* 83. (*d*) *Ib. c.* 38. (*e*) *Lib.* ix. *c.* 17. (*f*) *Lib.* i. *ep.* 19.

exprimitur ; ſed aut linea ſupra literas ducta indicatur, aut prorſus omittitur. Non enim ſemper ſcribebant *centum millia ſeſtertium*, ſed etiam C.IIS. ubi linea ſignat *millia* ; vel ſimpliciter *centum* IIS. ubi IIS. eſt genitivus *ſeſtertium*, ac intelligitur *millia*, ut explicat Voſſius (*a*). Ita cum Plinius ait : *Clodii Æſopi tragici hiſtrionis patina* ſexcentis IIS. *taxata* (*b*) : ſexcenta *millia ſeſtertium* intelligi dicit. Et in illo Gellii : *Equus Alexandri regis et capite, et nomine, bucephalus fuit. Emptum Chares ſcripſit talentis tredecim, et regi Philippo donatum : æris noſtri ſumma eſt* IIS.CCCXII. (*c*) : vocem *millia* ſupplendam eſſe monet, ut ſit, *trecenta et duodecim millia ſeſtertium :* niſi IIS.CCCXII. quis ſcribere malit. Budæi igitur et aliorum ſententiam vituperat, qui, cum C. IIS. aut CC. IIS. vel ſimile aliquid inveniunt, *centum ſeſtertia*, aut *ducenta ſeſtertia*, legendum putant ; cum ſoli poetæ, ut ait, *ſeſtertia* pro *mille nummis ſeſtertiis* dicant. Nam ita Horatius :

Dum ſeptem *donat* ſeſtertia, *mutua* ſeptem
Promittit, perſuadet uti mercetur agellum (*d*).

Hoc tamen a poetis per metaplaſmum metri cauſa fieri cenſet Voſſius (*e*). Contra autem Budæi ſententia a doctiſſimo Gronovio defenditur, cujus verba hic apponemus. *Quum millenarius*, inquit, *numerus omittitur*, ducenta ſeſtertia *dicunt. Cicero :* Numerabantur illa ſeſtertia ducenta quinquaginta Syracuſanis. *Tacitus :* Daturum liberis ejus ducena ſeſtertia. *Quum* ſeſtertium *poni placuit genitivo plurali cum cardinali numero, ſemper adjecerunt* millia *in eadem ſumma, ut* ducenta millia ſeſtertium, ducenta millia nummum, *quæ ſunt idem quod* ducenta ſeſtertia. *Neque ſubaudi-*

tur

(*a*) *Etym. in voce* Seſtertius. (*b*) *Lib.* x. *c.* 57. (*c*) *Lib.* v. *c.* 2.
(*d*) *Lib.* 1. *Ep.* 7. *v.* 80. (*e*) *Ubi ſupra.*

tur in talibus τὸ mille, *neque infra illud numeris in uſu promiſcuo attribuitur genitivus* (*a*). Hæc ille: quæ et Soſipatri Chariſii, veteris grammatici, teſtimonio porro confirmat. Locus ſic ſe habet: *In conjungendo propria quibuſdam poteſtas, quæ ratione excluditur: ut cum dicimus quinquaginta millia nummum: nec ſtatim* centies nummum *dicere poſſumus, ſed* centies ſeſtertium: *nec tamen* quinquaginta ſeſtertium, *ſed* quinquaginta ſeſtertia *dicimus* (*b*). Item in Ciceronis Paradoxis legimus: *Capit ille ex ſuis prædiis* ſexcenta: *ego* centena *ex meis* (*c*). Et apud Saluſtium: *Si quis indicaſſet de conjuratione, quæ contra remp. facta erat, præmium, ſervo libertatem, et* ſeſtertia centum: *libero impunitatem ejus rei, et* IIS.CC. (*d*). Sed in his locis, ac ſimilibus, non voces, ſed notas auctores ſcripſiſſe, quas cum librarii poſtea integre vellent exprimere, *ſeſtertia* ſubſtituiſſe conjicit Voſſius.

Supereſt ut dicamus, quomodo loqui ſoleant veteres, cum numerus eſt *decies centena millia*, aut eum exſuperat. Tum enim utuntur adverbiis, *decies, vicies, centies, ducenties*, et ita deinceps. Et hic etiam diverſam loquendi rationem obſervat Voſſius. Si enim addatur *centena*, tantummodo intelligitur *millia*, ut apud Juvenalem:

Et ritu decies centena *dabuntur*
Antiquo (*e*).

Ubi poeta, ut idem explicat, modum dotis ampliſſimum indicare voluit, qui erat *decies centena millia ſeſtertium.*

Sin autem adverbium, vel adverbia (nam et *decies quinquies, vicies quater, ducenties vicies ſeſtertium* dicitur)

(*a*) *De pecun. vet. l.* 1. *c.* 2. (*b*) *Inſt. Gramm. l.* 1. *c. Deficientia.* (*c*) *Parad.* vi. (*d*) *B. C. c.* 30. (*e*) *Sat.* x. *v.* 335.

citur) alter numerus non ſequatur, *centena millia* intelligenda ſunt. Ita Cicero: *Cum ei teſtamento* ſeſtertium millies *relinquatur* (*a*). Atque hæc pervulgata eſt omnium ferme doctorum de eo loquendi genere ſententia; qui cum *decies, centies, millies ſeſtertium* dicitur, *centena millia* intelligi, ac vocem *ſeſtertium* genitivi pluralis eſſe, volunt. Nam *ſeſtertium* ſingulari numero, ac neutro genere, apud neminem vel oratorum, vel poetarum legi affirmat Voſſius, et ante illum Hotomannus. Sed in alia omnia hic tranſit Gronovius: quippe qui vocem *millia* in hiſce locutionibus intelligi neget, et *ſeſtertium* ſingularis eſſe numeri contendat. Operæ pretium erit hic ipſum audire. *Nummorum*, inquit, *numeratio attollebatur uſque ad ſeſtertium nongenta nonaginta novem millia nummum. Quæ ſequitur ſumma, non poterat ab illis geminato millenario efferri: non enim* mille millia, *nec* millies millena *dicebant: ſed quoties hic numerus duplicandus eſſet, priorem efferebant per* decies centena. *Hinc Plinius l.* XXXIII. *c.* 10. Non erat apud antiquos numerus ultra centum millia: itaque et hodie multiplicantur hæc, ut decies centena millia, aut ſæpius dicantur. *Sic igitur dicebant* decies centena millia nummum. Mille ſeſtertium *num dixerint, ambiguum reddit locus Ciceronis in Verrem, De prætura urbana.* Accepi vicies ducenta triginta quinque millia, quadringentos decem et ſeptem nummos. Dedi ſtipendio, frumento, legatis, proquæſtori, cohorti prætoriæ, *ſeſtertia mille*, ſexcenta triginta quinque millia, quadringentos decem et ſeptem nummos. Reliqui Arimini ſeſtertium ſexcenta millia. *Sed verendum, ne quum ſcriptum eſſet,* IIS. X. *id degeneraverit in* IIS. ∞

Nullo

(*a*) *De offic. l.* 3.

Nullo certe alio loco reperitur, cum paſſim ſeſtertium decies. *Nam quemadmodum proximarum grandium ſummarum nuncupationem contraxerant, vice nummum modulo argenti, qui duas argenti libras et ſelibram in nummis complecteretur, uſurpato; ita mox his quoque aptum compendium invenerunt, per eundem modulum, ſed ingenioſa varietate: vocem enim prius plurali numero enunciatam et multiplicatam per adjectiva numeralia, dehinc ſingulari poſitam numero per adverbia amplificarunt. Si numerum non mutaſſent, vix potuiſſent collectione illa nummorum per ſeſtertia ultra uti, quod ſemper fuiſſet ambiguum,* ſeſtertiane, *an* ſeſtertii *intelligerentur. Etenim, ut* decies ſeſtertium *dixerunt pro eo, quod ſimplicius fuiſſe videatur* mille ſeſtertia; *ita* vicies *pro eo, quod hac ratione pergendo* duo millia ſeſtertium, *&c. Atqui eadem omnia* duo millia ſeſtertium, tria millia ſeſtertium, *et reliqua, jam occupaverant in formis nummorum numerandis, et tam certo, ut* duo millia, tria millia, centum millia, *omiſſo vocabulo vel* nummum *vel* ſeſtertium, *non de aliis, quam de* nummis ſeſtertiis *intelligerentur. Fœda igitur tum fuiſſet ſummarum confuſio et ambiguitas. Quis potuiſſet divinare, ſi cui legata eſſent* decem millia ſeſtertium, *num* decies centena millia, *an* decem millia nummum *teſtator voluiſſet relicta, cum utraque ſumma prorſus eodem modo efferretur?* Hæc ille.

Ea autem ambiguitas evitari potuit, *decem millia ſeſtertia* dicendo. Sed illud ex uſu linguæ non licuiſſe ſtatim indicat. Nam ita pergit: *Hæc ratio, juſtiſſima mehercule fuit illi, quiſquis fuit, callido in primis viro, qui computandi gradus hos invenit, numerum vocis* ſeſtertia *mutandi; ubi, quia* τὸ millia *comparebat, non poterat vox* ſeſtertia *niſi genitivo plurali pronunciari; et uſum ſingularis vocabuli cum adverbiis com-*

miniſcendi (*a*). Porro *decem millia ſeſtertia* pro genitivo *ſeſtertium* haud recte dici, contra Scaligerum diſputat Scioppius (*b*).

Sed procedimus cum Gronovio. *Potuiſſent*, inquit, *vel a* centum millibus, *vel ab* decem millibus, *vel a* mille nummis *ordiri*. *Quod ſi pro* centum millibus, *ſeu ἀντὶ τοῦ* centum ſeſtertia, *dixiſſent* centies ſeſtertium, *permultæ grandium ſummarum appellationes, commodiſſima illa atque indulitata brevitate enunciandæ, defeciſſent. Quod enim inter hoc* centies, *ſignificans* centum millia nummum, *vel* centum ſeſtertia, *et* decies centies *intercedit*; *id eos numeros, qui ſunt inter alterum* centies, *ſignificans* [centies] centena millia nummum, *et* millies, *imp. d viſſet ambiguitate pluſquam Delphica. Nam qui ſciretur*, relicto, dato, dicto centies, *utrum* centum millia, *an* centies centena millia nummum *intelligerentur? Idem exiſtebat incommodum, manaretque latius etiam, ſi altius exorſi* decies *quoque* ſeſtertium, *pro* decem millibus *dixiſſent*.

Ut hæc igitur, aliaque incommoda, quæ illic percenſet, prævenirent, *pro* millies ſeſtertium, decies centies ſeſtertium (ut ait) *finxerunt. Brevi poſt et apparuit τὸ* centies *melius reticeri et ſubaudiri*. Et ea tandem ratione, inquit, *ut* decies centena millia nummum *ſuccedunt* nongentis nonaginta novem millibus nummum; *ita alio modo efferendi eaſdem ſummas*, decies ſeſtertium *ſequitur* nongenta nonaginta novem ſeſtertia (*c*).

In hac autem loquendi ratione vocem *ſeſtertium* ſingularis eſſe numeri, ex veterum ſcriptorum conſenſu manifeſtum putat, qui verbum, aut adjectivum ſingulare illi ſemper vel apponunt, vel ſubjiciunt. Sic in loco iſto

(*a*) *De pecun. vet. l.* ii. *c.* 2. (*b*) *Parad. liter. ep.* 14. (*c*) *Dicto loco.*

iſto Ciceronis jam ſupra allato: *Cum ei teſtamento ſeſtertium millies relinquatur* (*a*). Idem in Verrem: *De quo vobis priore actione ſatisfactum eſt*, IIS. *undecies numeratum eſſe* (*b*). Et alibi: *Ubi eſt ſepties millies ſeſtertium, quod in tabulis, quæ ſunt ad Opis, patebat* (*c*)? V. Maximus: *Prælegabaturque ei centies et quinquagies ſeſtertium* (*d*). Seneca: *Hic quater millies ſeſtertium ſuum vidit* (*e*). Ita quoque et Horatius:

Scilicet ut decies ſolidum exſorberet (*f*).

Qui plura deſiderat exempla, Gronovium adeat (*g*).

Cæterum in hac notione *ſeſtertium*, cum pro *mille nummis ſeſtertiis* accipitur, a pondere, cui veteres æquiparabant, originem traxiſſe cenſet Budæus. *Nunc*, inquit, *cauſam tenemus, cur ſeſtertia ſingula mille nummos ſeſtertios ſignificent. Nam duæ libræ et ſelibra, ſeu (quod idem eſt) mnæ duæ et hemimnæon, ducentas et quinquaginta drachmas valent: quæ ſi quaternario multiplicentur, mille nummos efficiunt. Quomodo igitur* ſeſtertii *dicti ſunt* nummi, *quod* duos aſſes et ſemiſſem *ſinguli valerent, id eſt*, dupondium et ſemiſſem æris: *ita* ſeſtertia *ex eo dicta ſunt, quod* duas libras *ſingula* et ſelibram argenti *valerent. Ita factum ut* quadringenta ſeſtertia, *et* quadringenta millia ſeſtertium nummorum, *antiqui pro eodem, ac ſine diſcrimine ſignificatus dicerent. Verum id notandum, quod* libram *nunc et* minam centenarias *intelligimus, indifferenter utentes: quod pondo etiam identidem appellatur. Plin.* l. xxi. Mna, quam noſtri minam vocant, pendet drachmas Atticas centum. *Quo in loco Hermolaus*, mnam, *inquit*, libram, minam, pondo *pro eodem noſtri dicunt. Quod dictum, ut non uſquequaque verum*

 eſt;

(*a*) *De offic. l.* 3. (*b*) *Lib.* ii. 20. (*c*) *Philipp.* ii. 93. (*d*) *Lib.* vii. *c.* 8. (*e*) *De benef. l.* ii. *c.* 27. (*f*) *L.* ii. *ſat.* 3. *v.* 240. (*g*) *De pecun. vet. l.* 2. *c.* 3.

eſt ; ita in re nummaria libram *et* minam *pro eodem fere uſurpari deprehendimus ; vix ut differentiam animadvertere poſſis, quamlibet obſerves accurate et Latinos et Græcos* (*a*). Et hanc Budæi ſententiam, a plurimis, iiſque ingenio et doctrina præſtantiſſimis viris impugnatam, ſtrenue tuetur Gronovius. Non quod mille nummi ſeſtertii ex duabus argenti libris ac ſelibra revera confici poſſent ; cum neque *mna* Græcorum plures quam ſex et nonaginta drachmas contineret : ſed ut denarius cum drachma, et libra cum *mna* ſæpe comparantur, licet pondere nonnihil diſcrepent ; ita ad majores ſummas commodius efferendas, *ſeſtertium* rotundo numero, ut aiunt, pro *mille nummis ſeſtertiis* accipitur. Romanis autem et in aliis rebus numero aliquid aut detrahere, aut adjicere, quo plenius et rotundius enunciarentur, haud inuſitatum fuit. Ita Varro : *Numerus non eſt ad amuſſim, cum dicimus mille naves iſſe ad Trojam, centumvirale eſſe judicium Romæ* (*b*). Sed ut ipſe Gronovius conſulatur, auctor eſſem, qui hoc argumentum non minus erudite, quam fuſe tractavit (*c*).

De *ſeſtertio*, ut opinor, et per illum numerandi ratione, ſatis pro noſtro inſtituto diximus. Cum autem aſſis et partium ejus nomina in *uſuris* etiam adhibentur, ne quid argumento, quod ſuſcepimus, conjunctum omiſiſſe videamur, uſurarum inter Romanos rationem, brevi tabella ad mentem Gronovii hic deſcriptam, dabimus (*d*). A menſtrua ſolutione denominationes accepiſſe idem vir magnus contra Salmaſium oſtendit (*e*). Hinc illud Horatii :

Omnem relegit idibus pecuniam,
Quærit calendis ponere (*f*).

Tabula

(*a*) *Lib.* i. *de aſſe.* (*b*) *De R. R. l.* ii. *c.* 1. (*c*) *De pecun. vet. l.* ii. *c.* 6. (*d*) *De centes. et unc. uſur.* Αγλεξ ii. *in fin.* (*e*) *De pecun. vet. l.* iii. *c.* 13. (*f*) *Epod.* ii.

Tabula uſurarum.



Et hic pedem figens, *Commentariolo* huic finem impoſuerim; ni *as libralis*, de quo ſupra diximus, in veteris Romanæ libræ pondus inquirendi occaſionem obtuliſſet. Inter varias enim ejus rei indagandæ rationes a doctis viris ſuſceptas, quod nemo hanc antea tetigit, nummorum id genus paucitati ſine dubio adſcribi debet: alioquin certe vix fieri poteſt, ut omnes præteriiſſent; cum nulla aut paratior, aut forſan certior excogitari poſſet. Nam qui aſſem iſtiuſmodi, cujus iconem exhibuimus, integrum & perfectum habeat; is ſane, quatenus aut ex ullo antiquo ſcriptore, aut ex ipſis nummis adhuc repertis comparet, veterem Romanam libram habere videtur. Sed de hoc plura dicendi mox dabitur locus. *Libra* autem Romana uncias duodecim continebat, *uncia* octo drachmas, *drachma* tria ſcripula, *ſcripulum* ſex *ſiliquas*, ut Priſcianus et Fannius docent (*a*). Sed de libræ

(*a*) Uterque *De pond.*

libræ Romanæ juſto pondere, pro diverſis eam inveſtigandi rationibus, in varias ſententias abeunt eruditi. Multa quidem antiqua pondera exhibet Gruterus (*a*); quæ tamen ad hanc rem nihil opis ſuppeditant. Peritiſſimus autem ſcriptor Joannes Gravius, in libro Anglicano *De Denario*, rationem illam inveſtigandi ex pondere denariorum proponit. Nam cum Celſus ſcribit, *In uncia pondus denariorum eſſe ſeptem* (*b*), quocum etiam conſentiunt Scribonius Largus (*c*) et Plinius (*d*); ex denarii pondere unciam facile cognoſci cenſuit, et ex illa iterum libram. Appenſis igitur plurimis denariis conſularibus, pulcherrimos eorum, et temporis injuria minime affectos, ſexaginta duobus granis Anglicanis æquales eſſe inveniebat. Hanc obſervationem Villalpandi teſtimonio porro confirmat, qui Romæ ex *congio Veſpaſiani*, pura ex fonte aqua impleto, ejuſdem rei experimentum cepit; unde et antiquam Romanorum libram, ab ea quæ hodie illic in uſu eſt, nihil immutatum eſſe autumat. Congius autem, cui inſcribitur nota P. X. h. e. *pondo decem*, duo et quinquaginta millia, quingenta et ſexaginta grana Anglicana continebat. Itaque ſi numerus iſte per octingenta quadraginta dividatur, qui numerus denariorum eſt in decem libris; grana duo et ſexaginta, cum quatuor grani particulis in ſeptem diviſi, unius denarii ponderi tribuere comperietur: quas grani particulas in nummis cudendis facile amitti poſſe exiſtimat Gravius. Hiſce igitur obſervationibus diſcrimen inter veterum Romanorum libram ac noſtram, ex unciis duodecim, in illum modum collocat:

Denariu

(*a*) *Inſcript. p.* 222. (*b*) *Lib.* v. *c.* 17. (*c*) *In præf.*
(*d*) *Lib.* xxxiii. *c.* 9.

		Grana noſtra.
Denarius conſularis	continet	62 4/7
Uncia Romana		438.
Libra Romana		5256.
Uncia Anglicana		480.
Libra Anglicana		5760. (*a*)

Noſtra itaque libra horum ſententia gravior eſt Romana quingentis et quatuor granis ; quæ cum unciam et anglicum efficiunt, Romanam libram ad *decem uncias* cum *novendecim anglicis* noſtræ libræ reducent.

Notandum eſt autem duo ponderum genera in uſu apud nos eſſe : alterum *Troy weight*, quaſi *Trojanum*, appellatur ; alterum *averdupois*, quod nomen a Gallis accepimus, quibus *avoir de pois* eſt *juſtum pondus habere*. Libræ horum ponderum et gravitate, et partium diviſione, inter ſe differunt. Nam prior in duodecim uncias primum dividitur ; harum ſingulæ iterum in viginti partes, quas *anglicos* appellat Snellius (*b*), nos *penny weights* ; et hi denique in viginti quatuor grana. Altera vero libra ſedecim habet uncias, quarum ſingulæ ſedecim continent drachmas, ac illæ rurſus tria ſcripula. Hæ autem poſteriores unciæ prioribus illis duobus circiter et quadraginta granis ſunt leviores. Diſtinctionis igitur cauſa quum de utraque libra noſtra mentionem faciendi occaſio infra ſe offerat, ad unciarum numerum ratione habita, alteram *minorem*, alteram *majorem* vocabimus : alioquin cum de libra noſtra loquimur, nulla diſtinctione facta, de minori ſemper intelligi debet. Atque hoc ideo neceſſarium erat monere, quia ut aurum et argentum minori, ita æs majori penſamus. Et his potius nominibus utemur,

(*a*) *Pag.* 120. (*b*) *De re nummar. p.* 51

mur, quam iis Georgii Agricolæ, qui, cum duplicem etiam libram memoret, unam duodecim unciarum *medicam*, alteram vero ſedecim *civilem* nominat: quas *numero* tantum, *non gravitate unciarum* differre dicit (*a*). Aliter autem ſe rem habere in noſtris libris jam oſtendimus. Proinde pharmacopolæ apud nos mixtum genus ponderum in uſu habent. Nam licet minor libra revera ſit noſtra medica, unciam tamen ex majori, cum ſemuncia vulgo adhibent; loco vero quadrantis ejus didrachmum, quod cum reliquis minutioribus portiunculis ad minoris libræ rationem comparantur. Unciam autem ſuam in octo drachmas dividunt, quarum ſingulæ tria habent ſcripula, ut hæc iterum viginti grana.

Sed tempus eſt ut ad libram Romanam jam redeamus, cujus indagandi aliam inſtitit viam Pætus, qui ex veteri Romano pede illam perſcrutari conatus eſt, ut ipſe tradit (*b*). Tres igitur æreos pedes antiquos, longitudine ad amuſſim convenientes, Romæ nactus, item vetera aliquot pondera, tam ærea quam lapidea, admodum integra et incorrupta, planeque inter ſe concordantia, ſextarium ſibi formari curavit, qui viginti ejuſmodi unciarum, puræ aquæ ex ciſterna, quæ pluvia eſt, capax eſſet. Deinde ex pede quadrantal cupreſſinis tabulis compingi fecit; atque ita poſtquam ſextarium cum quadrantali, purgato cribratoque milio, quo Romæ menſuræ examinari conſueverunt, diligenter contulerat, quadrantal octo et quadraginta ſextariis expleri, et plenum evacuari, regula redula, ut vocat, ſemper adhibita, ita ut nihil nec de ſextario, nec de quadrantali ſupereſſet, aut deficeret, comperiebat. *Sextarium* autem aquæ *vigint*

(*a*) *De pond. et mens. p.* 339. (*b*) *De pond. et mens l.* i.

viginti uncias continere indicat Fannius, ita canens:

Libræ, *ut memorant*, beſſem ſextarius *addit*,
Seu puros pendas latices, ſeu dona Lyæi (*a*).

Quadrantal etiam *octo et quadraginta ſextarios* capere idem tradit.

Pes longo ſpatio, atque alto, latoque notetur;
Angulus et par ſit, quem claudit linea triplex;
Quatuor et quadris medium cingatur inane:
Amphora *fit cubus*——
——terque *capit* modium; ſextarius *iſtum*
Sedecies *haurit* (*b*).

Quibus verbis *amphoram tres modios*, *modium* vero *ſedecim ſextarios* continere oſtendit. *Amphoram* autem et *quadrantal* eandem menſuram eſſe docet Feſtus. *Quadrantal*, inquit, *vocabant antiqui, quam ex Græco* ἀμφορέα *dicunt, quod vas pedis quadrati octo et quadraginta capit ſextarios* (*c*). Pætus igitur, cum res adeo ex voto ipſi ſucceſſerat, comparationem poſtea inſtituens cum ponderibus tum Romæ uſitatis, unciam ſuæ ætatis antiqua illa ſcripulo uno et granis quatuor, libram vero antiqua libra ſcripulis quatuordecim graviorem eſſe invenit. Dividitur autem, ut ait, Romana uncia hodierna in quatuor et viginti ſcripula, quorum ſingula iterum in totidem grana partiuntur. Quæ cum ita ſint, hoc Pæti experimento vetus Romanorum libra ad *decem uncias*, *octo anglicos*, et *totidem grana* cum *dimidio* noſtræ libræ redigetur. Cum nihil enim diſcriminis inter veterem Romanam libram atque hodiernam agnoſcat Villalpandus, quam, ut ſupra vidimus, quadringentis triginta octo granis noſtris æqualem facit Gravius; contra autem Pæti

(*a*) *De pond. et menſ.* (*b*) *Ibid.* (*c*) *In voce* Quadrantal.

antiqua libra, ea hodie Romæ uſitata quatuordecim ſcripulis ſit levior: ſi ſcripula iſta quatuordecim, quorum viginti quatuor unciam conficere dicit, ad numerum noſtrorum granorum, quem unciæ Romanæ aſſignat Gravius, comparentur; grana ducenta quinquaginta quinque cum dimidio efficient. Hæc autem grana, quæ decem anglicos cum quindecim granis ac dimidio reſiduis faciunt, a Villalpandi ac Gravii libra ablata, eam Pæti tanto, quam diximus, noſtra leviorem reddunt.

Sunt tamen, quibus neutra ex his ſententiis arridet, quorum numero eſt Savotus, qui etiam Pæti libram, veram iſtam antiquorum paululum excedere contendit (*a*). Villalpandi enim libram ſex millibus quadringentis triginta duobus granis Gallicis æquiparat, quorum ſexies mille centum et novendecim Pæti libram efficere, ſcripula vero iſta quatuordecim, quibus veterem Romanam libram hodierna leviorem eſſe dicit Pætius, reliqua trecenta et tredecim grana continere aſſerit. Ex nummis igitur argenteis rem primum exploràns, denarios conſulares, quorum ſeptem unciam conſtituebant, grana duo et ſeptuaginta pendere deprehendit. Eos autem, qui ab ultimis Neronis temporibus in uſu eſſe cœperunt, & quorum octo uncia continebantur, prioribus illis octava parte leviores, hoc eſt, ſexaginta trium granorum ponderi æquales inveniſſe dicit. Jam igitur ſi in prioribus iſtis denariis granorum numerus ſepties, aut in poſterioribus octies in ſe ducatur, quingenta et quatuor grana pro unius unciæ pondere exinde provenient. Et hæc iterum quingenta quatuor grana duodecies ſumpta, ſexies mille quadraginta octo, numerum ſcil. granorum

(*a*) *De numm. ant. Par.* iii. *c.* 23, 37.

granorum quem veteri Romanæ libræ tribuit, producent.

Idem quoque ex aureis nummis magis confirmari existimat, utpote quorum pondus a viris monetalibus multo accuratius expendi solet. De iis autem, ut supra ostendimus, ita scribit Plinius: *Aureus nummus post annum 62 percussus est, quam argenteus, ita ut scrupulum valeret sestertiis vicenis* (*a*). Exigui igitur nummi aurei mentionem facit Savotus, duobus decussibus XX. notati, quos æstimationis signum ratione sestertiorum esse censet. Nummus autem iste, licet diuturno usu parum attritus, unum tamen et viginti grana fere exæquavit. Hinc igitur in scripulo Romano unum et viginti grana, in drachma sexaginta tria, in uncia quingenta quatuor, in libra denique sex millia quadraginta octo fuisse colligit. Duos etiam nummos ejusmodi, alterum in thesauro regio, alterum in museo S. *Genovefæ*, memorat Harduinus, paulo, ut videtur, perfectiores, quippe qui unius et viginti granorum Gallicorum justum pondus habuerint. Quibus et par alterum, ut ait, sed formæ majoris, trium scil. et sexaginta granorum pondere, ibidem repositum, omnino respondisse, notæ XV. iis insculptæ, totidem denarios denotantes plane indicabant (*b*). Proinde cum Plinius dicto loco aureos primum XL. postea vero sub Nerone XLV. *ex libra signatos fuisse* tradit, aureos nummos hodie reperiri, qui horum utrique generi bene conveniunt, testatur Savotus. Nam aureos consulares grana centum et quinquaginta unum cum una grani ex quinis particula; alteros vero centum triginta quatuor grana cum duabus grani particulis in quinque itidem divisi,

 pendere

(*a*) *Vid. supra, p.* XXXIV. (*b*) *Numm. ant. illust. p.* 555.

pendere affirmat. Si quis autem ſex millia quadraginta octo, qui granorum unius libræ eſt numerus, per quadraginta, aut quadraginta quinque, quot aurei in ſingulis libris continentur, dividat; granorum numerum utrique aureorum generi jam datum, recte iis aſſignari inveniet. Haud aliter etiam ſe rem habere obſervat, ratione aureorum qui ſub Severo cudebantur; quo tempore ut didrachmi pondus habuerunt, ita centum et viginti ſex grana exæquare comperit. Tot igitur experimentis per nummos tam aureos quam argenteos factis, Pæti libram unum et ſeptuaginta grana juſto pondere graviorem eſſe dicit. Hæc autem unum et ſeptuaginta Savoti grana noſtris quinquaginta et octo æqualia eſſe is facile percipiet, qui Villalpandi libra, ex noſtris granis confecta, per numerum ſeptuaginta et unum prius multiplicata, granorum Gallicorum numero, ex quibus ea libra conſtat, poſtea diviſerit. Quapropter cum vetus Romana libra ex Savoti ſententia duobus anglicis et decem granis noſtris ea Pæti ſit levior, ad *decem uncias* et *quinque anglicos* cum *viginti duobus granis* ac *dimidio* noſtræ libræ neceſſario reducitur.

Quantum eruditi homines, qui in veteri Romana libra perſcrutanda operam collocarunt, ſententiis inter ſe diſſederint, ex iis quæ diximus, ſatis, opinor, oſtenditur. Omnes enim illorum diverſas opiniones, qui de ea ſcripſerunt, percenſere, nec omnino neceſſarium eſt, nec deſtinatæ noſtræ brevitati ullo modo convenit. Certe Gravius et Savotus, licet eandem viam ingreſſi, ex fide nummorum utrique rem exploraverint, haud parum a ſe invicem diſſentiunt. Conſulares enim denarii ex Gravii mente, ut jam diximus, duo et ſexaginta grana noſtra continere debent; quos Savotus vix quinquaginta novem ejuſdem granorum

norum generis æquales facit. Quæ quidem diſcrepantia, utut parva in ipſis nummis videatur, quantum tamen diſcriminis in libræ utriuſque pondere efficiat, ſupra demonſtravimus. Utrum tamen Savotus denariis ejuſdem per omnia integritatis, atque Gravius, uſus fuerit, neſcio; plures enim pondus a Gravio conſtitutum adæquare, aut minimum ſaltem ab eo deficere, penſando comperimus: ſed quod præcipui hic momenti eſſe videtur, ſunt aurei nummi, quos ſuis rationibus tam bene congruere oſtendit Savotus; in quibus ad præſcriptum pondus excudendis, ut nemo dubitabit quin potior cura haberetur; ita ex materiæ ingenio damnoſæ vetuſtatis detrimento minus fuerunt obnoxii. In re igitur adeo obſcura, et difficili, quiſque judicio ſuo fruetur.

Ærei nummi ad hoc propoſitum minus accommodati communiter exiſtimati ſunt. Nec id ſane immerito, ſaltem ſi tempora ab aſſis imminutione, et præſertim poſt ſuſceptum imperium, reſpiciamus. De iis igitur, quæ ſcripſit Savotus, obſervatu ſunt digniſſima. *In explorando*, inquit, *veterum numiſmatum æreorum pondere, non nimis ſcrupuloſos nos eſſe oportet, nec ad minimum quemque exceſſum vel defectum attendere, cum veteres exiguæ alicujus differentiæ nullam hic rationem habuerint. Quamvis enim e. g. conſtitutum olim fuerit, ut majora numiſmata ærea eſſent uncialia, raro tamen pondus hoc habere deprehenduntur; cum plerumque vel leviora, vel ponderoſiora paulo uncia exiſtant; qui defectus vel exceſſus, ob vilitatem materiæ iſtius, nullius prorſus eſt momenti* (*a*). Snellius quidem nonnullorum tam magnæ, quam mediæ etiam formæ pondera exhibuit; qui tamen non magis inter

ſe,

(*a*) *De numm. ant, Par.* iii. *c.* 22.

ſe, quam cum uncia Romana, prout ab illo conſtituitur, conveniunt. Quod nulli autem eorum, quos profert, unciam penderent, ſed aliis quarta, aliis tertia pars et amplius ejus deeſſet, non equidem mirandum cenſeo; cum is veterem Romanam unciam, illi aurificum in Belgio, ſexcenta quadraginta grana continenti, parem faciat (*a*), quam unciæ minoris noſtræ libræ pondo congruere indicat Gravius (*b*). Et ea ſane quidem gravitate pauci inveniuntur. Nos duplici *Kempiana* ſerie imperatorum, quorum altera magnæ, altera mediæ formæ nummos complectitur, rem explorantes, ex primorum aliquot Cæſarum nummis, binis cujuſque, ut pari quantum licuit integritate, ita pondere quam maxime diverſo, ſelectis, trutina examinavimus: quorum proportio tum inter ſe, tum ad noſtram unciam, ſequenti tabula facile conſpicietur.

Imperatorum ærei nummi unciales.

				unc.	*angl.*	*gr.*
Pag. 1.	*N.* 9.	Auguſti	*Pond.*	0	16	7½
	10.	*Ejuſdem*		0	10	15½
	11.	Tiberii		0	15	13
2.	17.	*Ejuſdem*		0	17	13½
	30.	Caligulæ		0	17	20½
	36.	*Ejuſdem*		0	14	2½
3.	38.	Claudii		0	18	19½
	45.	*Ejuſdem*		0	16	10½
	51.	Neronis		1	00	1½
	48.	*Ejuſdem*		0	14	1½
4.	66.	Galbæ		0	17	18½
	67.	*Ejuſdem*		0	15	10½
	72.	Vitellii		0	14	5½

Veſpaſiani

(*a*) *De re nummr. p.* 15. (*b*) *De Denario, p.* 71.

			unc.	*angl. gr.*
Pag. 4. *N.*	75.	Veſpaſiani *Pond.*	0	17 — 12 ½
	80.	*Ejuſdem*	0	15 — 8 ½
	85.	Titi	0	13 — 22 ½
	88.	*Ejuſdem*	0	16 — 16 ½
	96.	Domitiani	0	18 — 0 ½
	102.	*Ejuſdem*	0	17 — 3 ½
6.	108.	Nervæ	0	16 — 16 ½
	112.	*Ejuſdem*	0	14 — 7 ½
	120.	Trajani	0	15 — 15 ½
	121.	*Ejuſdem*	0	18 — 10 ½

Imperatorum ærei nummi ſemunciales.

27.	6.	Auguſti	9	0
	8.	*Ejuſdem*	6	6
29.	44.	Neronis	6	20
	48.	*Ejuſdem*	10	0
	56.	Veſpaſiani	8	21
30.	64.	*Ejuſdem*	6	13
	73.	Domitiani	8	8
	76.	*Ejuſdem*	4	22
31	104.	Trajani	9	4
	107.	*Ejuſdem*	6	9

Quam diverſo pondere ærei nummi ejuſdem formæ etiam ſub eodem principe fuerint percuſſi, hi pauculi, quos ex magna copia protulimus, ſatis demonſtrant. Nihil igitur certi de Romana libra ex iis elici poſſe, quiſque facile videbit. Etenim cum inter diverſæ gravitatis terminos, quos hic in utraque nummorum claſſe propoſuimus, plurimæ varietates intervenire comperiuntur; Oedipo ſane conjectore opus eſt, qui de uncia aut ſemuncia clarum aliquid et indubitatum ex illis edocere valeat.

Nec minus fere difficultatis occurret, ſi *aſſes conſulares* (ut diſtinctionis cauſa ita appellem) cujuſque generis,

generis, ex quo primum imminutionem paſſi ſunt, tam ſecum, quam cum partibus ſuis conferamus. Horum numerum ac varietatem, haud omnino contemnendam, *Kempii* theſaurus continet; quorum omnium deſcriptiones ac pondera ad calcem hujus opuſculi adnectentur. De notis quantitatis, in aſſe ac partibus ejus expreſſis, quibus a ſe invicem diſtinguebantur, ſupra diximus. In eo igitur haud parva dubitatio oritur, quod nummi aliquot inveniuntur, quarum notæ eas portiones indicant, a quibus nummorum pondus, cuicunque aſſium generi tribuas, longiſſime diſcrepent. Sed res clarior fiet exemplis. Prima itaque *aſſis* imminutio, ut ex Plinio diſcimus, ex *librali* in *ſextantarium* facta eſt. Et nequa hic erroris ſuſpicio oboriri poſſet, adjicit: *Ita quinque partes factæ lucri.* Jam ſi in tabulam *Kempianorum* aſſium inſpiciamus, ex quinque poſtremis duos priores binis punctis, indicio ſcil. *ſextantis*, notatos inveniemus; cum alter ſedecim anglicos et quindecim grana, alter quindecim anglicos et novendecim grana cum dimidio pondere exæquent: quæ quidem pondera ut nullo modo *aſſi ſextantario*, ita nec *librali* congruent. Tres autem poſteriores uno puncto notantur, quod in aſſe librali *unciæ* ſignum fuiſſe diximus. Sed pondus nequaquam convenit, quum graviſſimus eorum octo anglicos cum granis aliquot haud ſuperet. Unicam igitur rationem hujus difficultatis expediendæ, quæ mihi rem ſæpius conſideranti ſeſe obtulit, quanta poſſim brevitate explicabo. Plinius, ut ſupra oſtendimus (*a*), de æreis nummis ſuæ ætatis loquens, *dupondiorum* mentionem facit. Diu autem antea aſſem ad *ſemunciam* redactum fuiſſe idem docet.

(*a*) *Vid. ſupra* [illegible]

cet. Duos igitur priores nummos, de quibus jam agimus, *dupondia*, et tres posteriores *asses semunciales* appellarem. Cui conjecturæ quid objici possit, præter notæ quantitatis formam, non percipio: nimirum quod hac ratione signa ista dupondiorum et assium cum iis, quæ sextantes et unciæ olim occupaverant, confunderentur. Et constat quidem non modo *librales asses*, sed etiam *sextantarios*, atque *unciales* litera I. insigniri solitos: quod ex ipsis nummis comprobatur: utrum tamen *semuncialibus* unquam impressa fuerit, necne, nondum comperi. Certe duo ex *Kempianis* nullam omnino quantitatis notam præ se ferunt. Sin autem notas istas, quibus *unciæ* et *sextantes* olim designabantur, in *asses* demum *semunciales*, ac *dupondia uncialia* aliquando translatos fuisse dicamus, nulla sane notarum confusio inde exoriri potuit. Postquam enim asses ad semunciam sunt redacti, partes eorum haud infra *quadrantem* fuisse signatas ex iis, quæ supra de ea re diximus (*a*), manifestum esse videtur. Uncialis quidem assis etiam *sextantes* in usu fuisse, id genus nummi, qui etiamnum extant, sunt indicio: quem minimum tunc temporis æreorum nummorum, ut postea quadrantem, crediderim. Quo sensu et Varronis verba forsan intelligi possint, utut antiquiora etiam secula respiciant: *Æris*, inquit, *minima pars* sextula, *quod sexta pars unciæ* (*b*). Sed hoc contra ea, quæ nos jam disputamus, qui temporibus istis non tribuimus. Accedit his, quod nummorum, de quibus loquimur, fabrica et imaginum delineatio, ab illis assium libralium longissime discrepent, unde temporibus illis nequaquam convenire satis manifesto constat.

(*a*) *Vid. p.* xv. (*b*) *L. L. l.* iv.

Reſtat tantum ut de *librali aſſe* jam videamus, quem juſta magnitudine delineatum ſupra exhibuimus. Cujus forma, moles, pondus, effigies, et nota quantitatis, ita veterum auctorum de hiſce aſſibus deſcriptioni reſpondent, ut ex eorum eſſe numero nullus omnino dubitandi locus relinquatur. Nec inter varia nummorum genera in uſu olim apud Romanos, quorum cognitio ad nos pervenit, datur aliud, cui vel minima probabilitatis ſpecie tribui poſſit. Ad hæc figuræ, licet aſperæ quidem et prominentes, adeo tamen rudi et inconcinna arte ſunt effictæ, ut quæ impolitis iſtis ſeculis optime conveniant, magnæque et venerandæ antiquitatis imaginem præ ſe ferant. Hunc igitur *aſſem* penſantes, octo unciis, ac quatuor anglicis, noſtræ libræ pondere æqualem eſſe comperimus, Sed non tantum fruſtulum quoddam eſſe effractum, ſed extremitatem etiam vetuſtatis intertrimento undique eroſam, manifeſto apparet ; unde conjicere licet, perfectum et integrum *novem* circiter *uncias* habuiſſe. Cui ponderi etiam *trientes* duo *Kempiani* egregie congruunt, quorum alter, qui vim temporis minus perſenſit, duas uncias, octodecim anglicos, cum duodecim granis ; alter vero ætatis longinquitate parum ambeſus, duas ſimiliter uncias, cum quindecim anglicis, et ſex granis continet. Porro ad hanc obſervationem confirmandam *as* alius *libralis*, ac *ſemiſſis*, inter nummos antiquos ſplendidiſſimi viri, D. *Hans Sloane*, Baronetti, quos ille omnis antiquitatis egregie ſtudioſus, maximo numero et quantivis pretii coacervavit, repoſiti, mirifice conſpirant. Ex his autem duobus nummis *as* cum *Kempiano* forma per omnia bene convenit, niſi quod pulchritudine ac partium integritate haud parum ſuperat, eaque de cauſa ambitu ſuo nonnihil excedit. *Semiſſis* caput *Romæ galea-*

ta

te utrinque ſignatum habet, cui nota ℘. decumbens ſubjicitur; ſed temporis edacis injuriam haud perinde, ac alter, effugit. Horum igitur utrumque cum vir ille ornatiſſimus non tantum conſpiciendi, ſed etiam penſandi, pro ſumma ſua humanitate, copiam fecit; *aſſem* octo uncias, et ſeptendecim anglicos, cum quindecim granis; *ſemiſſem* vero quatuor uncias, ſeptem anglicos, ac duodecim grana pondo exæquare deprehendimus. Quo autem melius de aſſium horumce tam inter ſe, quam cum partibus ſuis convenientia dijudicari poſſit, ſingulorum pondus hic uno conſpectu repræſentabimus.

	unc.	*angl.*	*gr.*
As *Dom. H. S.* ——	8—	17—	15
As *Kempian.* ——	8—	4—	0
Semiſſis *Dom. H. S.*	4—	7—	12
Triens *Kemp.* ——	2—	18—	12
Triens *Kemp.* ——	2—	15—	6

Ex omnibus his nummis primus multo nitidiſſimus, ac de pondere ſuo minus reliquis amiſiſſe plane apparet. Quiſquis autem ſingulos conſpexerit, et inter ſe contulerit, cæteros eo magis corruptos eſſe et diminutos, prout quiſque proportione ſua primo fit levior, facile agnoſcet. Nec de integerrimo quidem nihil omnino deperditum eſſe affirmare liceat. Vix enim fieri poſſe videtur, ut nummi, qui jam fere bis mille annorum in communi uſu atque commercio eſſe deſierunt, mole ſua adeo incommodi, et vilitate materiæ neglecti et obtriti, quique in terræ potius gremio, quam in principum ſcriniis plerumque conſervati merito exiſtimentur, per tot ſecula integri prorſus et intacti evaderent. Quapropter ſi duos tantum anglicos cum paucis granis de priſtina iſtius aſſis gravitate periiſſe credamus, quæ ſane ratione magnitu-

dinis diminutio vix conſpicua foret, *novem libræ noſtræ*, plus minus, *uncias*, cum primum factus fuerit, confeciſſe dicendum eſt. Unde et *Romanam libram id ponderis* illis ætatibus *habuiſſe* neceſſario conſequetur.

Poſſidet etiam Dom. *H. Sloane* tres *typos*, argilla expreſſos, totidem *aſſium libralium*, qui inter veteres nummos *Oxonienſes* conſervantur. Quorum formæ et imagines his, de quibus diximus, ſimiles eſſe videntur, nec diſcrepat moles, ut de pondere quoque idem conjectari liceat. Sed temporis anguſtiis quo minus de eo certiores fieremus excluſi, ab aliis, harum rerum ſtudioſis, id faciendum relinquemus. Fatendum eſt quidem, ejuſdem ornatiſſimi viri beneficio nos *quadrantem* quoque *aſſis libralis* conſpexiſſe, una parte *virili capite barbato*, altera vero *nave* ſignatum; quem cum trutina exploravimus, pondus jam a nobis aſſignatum paululum exceſſit: nam duas uncias, ſex anglicos, et quinque grana continere invenimus. Attamen ex æris genere reliquis plane diverſo conflatus eſt, nec primæ illius antiquitatis imago adeo conſpicue in eo apparebat. Itaque non diu ante aſſium imminutionem, et forſan poſt argentum ſignatum, percuſſum fuiſſe conjecerim.

Quæ cum ita ſint, primos ſaltem *aſſes librales* una cum partibus ſuis, priſcis illis ætatibus ad pondus conſtitutum longe exactius, quam poſtea, ſignatos fuiſſe credere licet. Cui rei et pecuniæ inopia eo tempore multum tribuere poſſet, qua æreorum nummorum æſtimationem, qui tunc ſoli in uſu, longe majorem eſſe, quam ſeculis poſterioribus, neceſſe fuit. Servius Tullius, ut ſcribit Livius, *centum millium æris* maximum cenſum, qui primæ claſſis fuit, conſtituit (*a*).

Quem

(*a*) *Lib.* i. *c.* 42.

Quem Feſtus quidem *centum et viginti* (*a*), Gellius vero *centum et viginti quinque millia* (*b*) faciunt. Plinius autem medium inter hos numerum adhibens, *centum et decem millia* fuiſſe tradit (*c*). Jam ſi Plinii numerum accipientes ad noſtram pecuniam comparemus, ſumma valde mediocris pro prima civium claſſe inde conficietur. Cum autem hujus rei explicatio ex æris ad argentum proportione pendeat, nec de pondere primorum denariorum inter doctos conveniat, de illa nihil certi conſtitui poteſt. Cæterum quodcunque denario pondus attribuatur, ſi modo ullo ſive antiqui alicujus ſcriptoris, ſive ipſorum nummorum teſtimonio nitatur, Romanorum opes tunc admodum tenues fuiſſe oſtendere conabimur. Ut a Budæo igitur incipiamus, *Pondus*, inquit, *denarii, quum primum ſignatus eſt, drachmale fuiſſe propterea exiſtimo, quod nullam auctoritatem idoneam memini, quæ id falſum eſſe doceat* (*d*). Gravius autem, etſi ex primis denariis, dum æſtimationem illorum cum æreis nummis confert, ſeptem unciæ aſſignet (*e*); non tamen Peireskii et aliorum opinionem, qui ſex tantum in uncia tunc fuiſſe volunt, ut omnis veritatis ſpecie carentem, licet haud ita firmis probationibus ſubnixam, alibi prorſus rejicit. Attamen poſt ſecundum Punicum bellum ſeptimam tantum unciæ partem habuiſſe pro certo ſtatuit. Diſtinctionem etiam facit inter denarios *conſulares* et *Cæſareos*, quorum poſteriores octo ex uncia factos dicit (*f*). De hac autem diſtinctione, et quo tempore primum ſub imperatoribus fieri cœpit, ex Savoto ſupra locuti ſumus (*g*). Nunc itaque ſi cum Gravio ponamus denarios, dum aſſes

(*a*) *In voce* Infra. *Ubi vide* A. Auguſtinum. (*b*) *Lib.* vii. *c.* 13.
(*c*) *Vid. ſupra, p.* v. (*d*) *De Aſſe, l.* v. (*e*) *De Denario, p.* 40.
(*f*) *Ibid. p.* 51. (*g*) *Vid. p.* l.

aſſes adhuc librales eſſent, ſeptimam unciæ partem, nec amplius, pondere æquaviſſe, æs ab argento id temporis octingenties et quadragies pretio ſuo ſuperatum fuiſſe ſequetur: nam ſeptima pars unciæ in decem libris toties continetur. Hoc autem tam grande diſcrimen, ut cuivis profecto mira haud immerito videatur, ita Savotus omnino ſupra fidem judicat. Conjicit igitur veriſimilius eſſe, primos iſtos denarios unciales fuiſſe, atque ita proportione aliqua cum aſſibus poſtea decreviſſe (*a*). Sed cum nullo auctore locupleti hanc ſententiam confirmet, nobis memoraſſe tantum ſufficiat. Teſtatur autem tres nummos argenteos ſe vidiſſe, quorum quatuor unciam conſtituent; eam ſcil. unciam, quam is veteri Romanæ libræ attribuit. Horum duo, ut ait, ab uno latere *Janum bicipitem* repræſentabant, ab altero *Victoriam*, cum inſcriptione *Roma:* quo *victoriatos* fuiſſe cenſet (*b*).

Ex his autem tam variis opinionibus, dum nummos argenteos veterum Romanorum ad noſtros ratione æſtimationis comparamus, eam Gravii potiſſimum eligemus; vel ob hanc cauſam, quia pleroſque noſtrorum ſcriptorum eam proportionem ſecutos fuiſſe obſervavi. Ita inter alios nuper in Tabulis ſuis Arbuthnottus. In eum igitur modum rem inſtituit Gravius, ut unciam argenti maximo hodie ex argenteis noſtris nummis, quem vocamus *a crown*, æſtimatione æqualem faciat; ideoque cum uncia noſtra ſexcenta et octoginta grana continet, et nummus iſte ſexaginta minimis argenteis nummulis, quos *pence* dicimus, æſtimatur; ſi granorum numerus per eum nummulorum dividatur, unicuique nummulo octo grana tribuentur. Hinc conficitur Gravii denarium, qui ex

(*a*) *De numm. ant. Part.* iii. *c.* 20. (*b*) *Ibid. c.* 7.

ex duobus et ſexaginta granis conſtat, ſeptem *pence halfpenny farthing* noſtra pecunia valere. Quapropter ex hac rei conſtitutione *decem et centum millia aſſium*, quos maximum et primæ claſſis cenſum fuiſſe, Servio regnante, tradit Plinius; ſeu, quod idem eſt, *undecim millia denariorum*, 355 *l.* 4 *s.* 2 *d.* noſtræ pecuniæ conficient. Tenuiſſimæ profecto rei pecuniariæ ſub regibus conditionis, ſi res ita ſe revera habuiſſet, evidens indicium. Sin autem ex Savoti *victoriatis*, ut appellat, æſtimationem faciamus, ſumma, quam diximus, triplici ratione et amplius augebitur : quanquam et ita quidem pro prima civium claſſe modica ſatis appareat. Et ut dicam quod ſentio, ex loco Varronis ſcrupulus mihi diu fuit injectus, annon ſeptimam unciæ partem, contra quam plurimi doctorum hominum ſenſerunt, denarius olim ſuperaſſet. Is enim argenteos nummos percenſens, de *teruncio* ut minimo eorum verba facit, utpote quæ denarii quadrageſimam tantum partem haberet (*a*). Quamobrem ſi cum Gravio, iis temporibus cum nummulus iſte cudebatur (nam ut ſuæ ætatis de eo haud loquitur Varro: qua nec *quarta pars aſſis* fuerit, ut mox oſtendemus) duo tantum et ſexaginta grana denario aſſignemus, unum circiter granum noſtrum cum dimidio *teruncio* tribui debet. Hæc autem ſeu formæ, ſeu ponderis exiguitas, communi uſui nequaquam accommodata eſſe videtur.

Verum enim vero ſi conjectura iſta Savoti de *victoriatis* ſuis admitteretur, ante unciales ſaltem aſſes eos percuſſos fuiſſe, ex Livii verbis, quæ doctiſſimorum virorum animos plurimum torſerunt, quis facile credat. Is enim Quintii triumphum deſcribens ita loquitur : *Signati argenti octoginta quatuor millia fuere Atti-*

(*a*) *Vid. ſupra, p.* xxxi.

Attitorum ; tetradrachmum vocant : trium fere denariorum in ſingulis argenti eſt pondus (*a*). Nec aliter ſane hæc verba citat Priſcianus. Unde etiam affirmat *denarios illo tempore viginti quatuor ſiliquarum* fuiſſe (*b*). Agebatur autem triumphus iſte anno urbis 558. circiter viginti ſcil. annos poſtquam aſſes unciales facti fuerant. Haud parum hic Livii locus Gravium urit, quem nummis corrigere non dubitat, pro verbis III. *fere denariorum*, IV. ſcribens ; cum facile eſſet libratio, ut ait, in figura V. alſucinanti, diviſis lineis II. ſcribere (*c*). Nec alia mens Gronovii, qui hanc emendationem omnino neceſſariam eſſe contra Priſcianum contendit (*d*). *Attica* autem *drachma*, de qua hic loquitur Livius, communi æſtimatione æqualis *denario* habebatur. Ita Plinius : *Drachma Attica denarii argentei habet pondus* (*e*). Sed *Æginea drachma* longe gravior fuit, utpote quæ *decem obolos* habuit, quorum Attica *ſex* tantum continebat. Hinc Athenienſes, Æginenſium odio, *Ægineam* dicere nolentes, παχεῖαν δραχμὴν appellabant, ut Pollux teſtatur (*f*). Scriptores autem, cum drachmæ ſine ulla adjectione mentionem faciunt, Atticam intelligunt. Sic quos Tullius *denarios* vocat, a Dione δραχμαὶ nominantur. Verba Ciceronis ſunt : *Veterani quiqui Caſilini, et Calatiæ ſunt, perduxit ad ſuam ſententiam : nec mirum, quingenos denarios dat* (*g*). Dio autem ſcribit : Καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς τότε τὴν πενταγοσίας δραχμάς (*h*). Attamen drachmam Atticam eodem pondere ac denarium non revera fuiſſe, ſed graviorem oſtendit Gravius : qui multa *tetradrachma* appendens, ducenta ſexaginta octo ex noſtris granis continere invenit ; qui

(*a*) *Lib.* XXXIV. *c.* 52. (*b*) *De pond.* (*c*) *De Denario. p.* 82. (*d*) *De pecun. vet. Lib.* III. *c.* 4. (*e*) *Lib.* XXI. *c.* 34. (*f*) *Lib.* IX. *c.* 6. § 76. (*g*) *Lib.* XVI. *ep.* 8. *ad Att.* (*h*) *Lib.* XXXV.

qui numerus per quatuor diviſus ſingulis drachmis ſexaginta ſeptem grana tribuit, cum denario duo tantum ſupra ſexaginta aſſignet. Verum hanc tantillam inæqualitatem, cum alter externus fuit nummus, nihil impediviſſe, quo minus eadem æſtimatione inter Romanos eſſent, et alter cum altero permutaretur, cenſet (*a*).

Sed quæ hactenus diximus, ad ea ſpectant tempora, cum jam argentum ſignari cœperat, nec aliter ſane comparatio inſtitui potuit. Omnino autem credendum eſt Servii ætate proportionem inter æs et argentum longe majorem fuiſſe ; quod is facile concedet, qui, quantillum argenti tunc Romanos habuiſſe oportet, ſecum cogitaverit, cum per annos circiter trecentos poſtea nullum ſignaverint. Proinde ſi ex pondere, quod ſupra *aſſi librali* dedimus, æſtimatio fieret, ſummam haud parum diminueret. De hoc autem, cum in probatione ejus adhuc verſamur, in præſentia dicere ſuperſedentes, ad alia teſtimonia de pecuniæ inopia inter priſcos Romanos veniemus. Narrat igitur Plutarchus legem a Valerio Poplicola, paulo poſt reges expulſos, latam fuiſſe, ut qui conſulibus non paruiſſet, quinque boum ac duarum ovium multam ſolveret, addens, ἦν ὃ τιμὴ μὲν προβάτιν ὀβολοὶ δέκα, βοὸς δ' ἑκατόν· ὕπω νομίσματι χρωμένων πολλῷ τότε Ῥωμαίων, ἀλλὰ προβατείαις καὶ κτηνοτροφίαις εὐθηνοῦντων (*b*). In alio autem loco idem ſcribit, λεπτὰς τὰς ἐξ ὀβολοῦ καλεῖσθαι (*c*). Si drachmam igitur, ut vulgo fit, denario æqualem conſtituamus, ex hac æſtimatione ovis plus ſedecim aſſibus valeret. Sed cum de Romanis rebus agat Plutarchus, *obolos* hic per *aſſes* docti homines interpretati ſunt. Atque hanc

(*a*) *De Denario*, p. 61, 78. (*b*) *In Poplicola.* (*c*) *In Lyſandro.*

ſententiam lege *Tarpeia Ateria*, ſupra quadraginta annos poſtea lata, anno ſcil. urbis 300, confirmari exiſtimaverunt. Hac enim lege cautum eſt, ut in pœnæ æſtimatione *bovis centuſſis*, *ovis* vero *decuſſis* pretium eſſet (*a*). Proinde cum anno urbis 336, ut ſcribit Livius, *Servitia urbem ut incenderent diſtantibus locis conjurarunt, indicioque duorum comprehenſi ſontes pœnas dederunt, indicibus* dena millia gravis æris, *quæ tum divitiæ habebantur, ex ærario numerata, et libertas præmium fuit* (*b*). At ſumma, quam Livius hic *divitias* appellat, ex Gravii æſtimatione, 32 *l.* 5 *s.* 10 *d.* noſtræ pecuniæ facit. Quanto autem amplius præmium illud a ſenatu ſervo decretum, qui Catilinæ conjurationem detegeret? Verba Saluſtii ſunt: *Si quis indicaſſet de conjuratione quæ contra rempub. facta erat, præmium ſervo libertatem, et* ſeſtertia *centum* (*c*). Cum *centum* igitur *ſeſtertia* tantundem valerent, ac centum millia nummorum ſeſtertiorum; ſi ſingulos ſeſtertios duobus aſſibus cum dimidio æſtimemus, ſumma in aſſibus erit *ducenta quinquaginta millia*; ſin autem quatuor aſſes uni ſeſtertio demus, quam proportionem iis temporibus convenire mox videbimus, ſumma ad aſſium *quadringenta millia* redibit. Adeo jam populi Romani opes ac divitiæ excreverunt, ab iis, quæ illa ætate, de qua Livius ſcribit, fuerant.

Ex paucis his veterum ſcriptorum locis, quanta pecuniæ inopia civitas, omnium gentium dominatrix futura, olim verſata fuerat, quadantenus ſaltem manifeſtum eſt. Unde et ad juſtum pondus accuratius tunc æreos nummos, quos ſolos habebant, exegiſſe, haud abſurdum conjectari videtur.

Sequentibus autem ſeculis, cum major argenti copia

(*a*) *Gell. l.* xi. *c.* 1. *Feſt. in* Peculatus. (*b*) *Lib.* iv. *c.* 45. (*c*) *B. C. c.* 30.

pia ab aliis nationibus Romam allata fuit, prout reſpub. novis acceſſionibus magis magiſque invaleſcebat, non eadem ratio apparet, cur æreorum nummorum pondus tanta ſolicitudine ad ſtateram exigerent. Cui mox et aſſium imminutio haud parum tribuere potuit; cum jam et argentum ſignatum habuerunt, in quo præcipua cura ſine dubio fuit collocata. Et quum aurei nummi in uſu eſſe poſtea cœperunt, de æreis minorem adhuc diligentiam adhibitam fuiſſe veriſimile videtur: unde nunc graviores, nunc leviores inveniuntur, pro arbitrio forſan, aut incuria illorum, quibus id muneris demandatum fuit. His accedit, quod ut aurum ſignatum minori proportione argenti pretium inter Romanos, quam apud nos, plerumque exceſſit; ita contrarium iis, ratione æris ad argentum, ſemper in uſu venit: unde quoque et æs vilius præ argento fuiſſe oſtenditur. Quænam eſſet auri ad argentum proportio, cum aurei nummi primum cudebantur, ex Plinio diſcimus. *Aureus*, inquit, *nummus poſt annum* LXII. *percuſſus eſt, quam argenteus, ita ut ſcrupulum valeret ſeſtertiis vicenis* (*a*). Argentum igitur ab auro hac æſtimatione decies circiter et ſepties tunc temporis pretio ſuperatum fuit. At non ita multo poſt, nimirum anno 563, ſi fides Livio ſit habenda, in decupla tantum erant proportione. De pace enim cum Ætolis loquens ita ſcribit: *Pro argento ſi aurum dare mallent, darent, convenit; dum pro argenteis decem aureus unus valeret* (*b*). Eandem proportionem et apud Græcos obtinuiſſe indicat Pollux, inquiens: Τὸ ὃ χρυσίον, ὅτι δ' ἀργυρίου δεκαπλάσιον ἦν, σαφῶς ἂν τις ἐκ τ Μενάνδρυ Παρακαταθήκης μάθοι (*c*). At longe majus auri pretium apud nos præ argento

 ſatis

(*a*) L. xxxiii. c. 3. (*b*) L. xxxviii. c. 11. (*c*) L. ix. c. 6. § 76

ſatis notum eſt. Variaſſe etiam apud Romanos, et fuiſſe cum quindecim, duodecim, imo infra decem argenti partes uni ex auro æqualem haberent æſtimationem, docti oſtendunt (*a*). Contra autem æs ab argento magis exſuperatum fuiſſe, quam hodie apud nos, etiam poſtquam as ad ſemunciam redactus erat, ex utriuſque collatione facile apparebit. Sed dubium hic oritur ex Plinii verbis, quæ ſupra adduximus. *Hannibale*, inquit, *urgente Marcum, aſſes unciales facti: placuitque* denarium ſedecim aſſibus *permutari* (*b*). Utrum igitur mos iſte ſemper in poſterum obtinuerit, ut ſedecim aſſes denarius valeret, an ad decem poſtea æſtimatio revocata ſit, docti inter ſe non conſentiunt. Qui priorem ſententiam amplectuntur, ad veritatem propius accedere cenſet Gravius (*c*) : qui hanc denarii æſtimationis mutationem, ad Juſtiniani uſque tempora, et forſan diutius, conſtanter permanſiſſe autumat ; cum nulla certa argumenta ex antiquis ſcriptoribus ad hanc opinionem convellendam proferri poſſint. Vitruvius certe, qui ſub Auguſto floruit, non tantum de ea re mentionem facit, quaſi ſuo tempore in uſu eſſet, ſed unde originem habuerit etiam demonſtrat. *Hujus autem rei*, inquit, *auctorem invenerunt pedem. E cubito enim cum dempti ſint palmi duo, relinquitur pes quatuor palmorum : palmus autem habet quatuor digitos ; ita efficitur uti pes habeat ſexdecim digitos, et* totidem aſſes *æreos denarius* (*d*). Nec ſub Tiberio aliter ſe rem habuiſſe, ex Percennii Pannonii militis apud Tacitum expoſtulatione, querentis *militiam gravem et infructuoſam* eſſe, cum jam *denis in diem aſſibus anima et corpus æſtimaretur*, ſuſpicari licet (*e*). Nam

(*a*) *Vid. Savot. De numm. ant. Part.* iii. *c.* 11. *Snell. De re numm. p.* 28. *et alii.* (*b*) *L.* xxxiii. *c.* 3. (*c*) *De Denario, p.* 48. (*d*) *Lib.* iii. *c.* 1. (*e*) *Ann. lib.* i. *c.* 17.

Nam illam querelæ cauſam fuiſſe ait Harduinus, *quod decem æreos aſſes acciperet, non denarium, ut olim, argenteum, quem ſedecim deinde aſſibus æreis permutaret, ut ſic nempe ſenos aſſes lucri faceret* (*a*). Militibus enim, ut dicit Plinius, *ſemper denarius pro decem aſſibus datus* (*b*). Ideoque cum aſſes deni diurnum ſtipendium fuit, loco æris argenteum denarium acceperunt. Atque hanc Harduini explicationem, quæ in eadem Percennii turbulenta concione poſtea ſequuntur, haud parum confirmare videntur. *An prætorias*, inquit, *cohortes, quæ binos denarios acciperent, plus periculorum ſuſcipere?* Quibus verbis indicare videtur, ex juſto prætoriarum cohortium ſtipendio nihil tunc diminutum. Idem quoque tradit de ſua ætate V. Mæcianus: *Denarius*, inquit, *primo* aſſes decem *valebat, quinarius dimidium ejus: ſeſtertius duos aſſes et ſemiſſem. Nunc* denarius ſedecim, *victoriatus et quinarius octo, ſeſtertius quatuor* aſſes *valet* (*c*). Mæcianum hunc eſſe, a quo M. Antoninum Philoſophum jus didiciſſe ſcribit Capitolinus, ſtatuunt J. Bertrandus et G. Grotius (*d*): qui et in *Pandectis* ſæpius memoratur. De Juſtiniani denique tempore argumento ſunt illius principis verba, ita præcipientis: *Verba ſuperflua, quæ in donationibus poni ſolebant, ſcil.* ſeſtertii, nummi unius, aſſium quatuor, *penitus eſſe rejicienda* (*e*). Ex his autem veterum ſcriptorum teſtimoniis, qui tam diverſis ſeculis vixerunt, denarium communi æſtimatione a ſecundo Punico bello ſedecim aſſes ſemper valuiſſe, credibile videtur. Nam quod ad Lipſii et aliorum quorundam opinionem attinet, qui tempus etiam fuiſſe volunt, quo duodecim aſſes denarius valuerit, ex loco

(*a*) *Numm. ant. illuſtr. p.* 553. (*b*) *L.* xxxiii. *c.* 3. (*c*) *De aſſis diſtribut.* (*d*) *Vitæ juriſcons. vet.* (*e*) *L. ult. C. de donationibus.*

loco ſcil. Polybii, ubi ſcribit, ἡμιασάριον eſſe πέμπτον μέρος ὀβολοῦ (*a*), eam ſolide refutant Gravius (*b*) et Gronovius (*c*): ſive quod drachma major denario eſſet, ut prior exiſtimat; ſive *rotundandi numeri* gratia, ut vult poſterior, id a Polybio factum dicatur. Quod monet autem Harduinus non ab re erit hic adnotare. *Cum ſeſtertios*, inquit, *in ſumma aliqua deſignanda, aut indicando pretio, denarioſve audis, cave alios intelligas apud Latinos ſcriptores, quam quos antiqua taxatio, et nominis originatio ipſa declarat, niſi ipſi auctores accipiendas aliter voces eas admoneant, quod eſt admodum infrequens. Ita ſeſtertium pro binis aſſibus ac ſemiſſe, denarium pro aſſibus denis accipe: quæ antiqua eſt earum vocum acceptio, et eadem retenta ſemper a Romanis ſcriptoribus, in pretio aliquo, ſummave ſignanda* (*d*). Sic ille: de quo alii judicent.

Jam igitur ſi aſſes ſemunciales cum denario ratione æſtimationis conferamus, utriuſque pondere prout uncia Romana a Gravio conſtituitur aſſignato, hoc eſt, denario duo et ſexaginta grana, aſſi vero ducenta et novendecim tribuentes, proportio ut *unius* ad *quinquaginta ſex* cum *dimidio unius integri* comperietur. Æs autem majori noſtra libra penſitari ſolitum ſupra diximus (*e*); cujus uncia cum ea veterum Romanorum, ex Gravii mente conſtituta, ſatis bene convenit. Quamobrem cum æreus noſter nummus majoris formæ tertiam hujus unciæ partem, hoc eſt, centum quadraginta ſex grana contineat; cujus generis nummi centum et viginti argenteorum maximum pretio valent, quem unciæ libræ minoris noſtræ æqualem (licet hodie quidem eo pondere ſedecim circiter granis

(*a*) *Lib.* ii. c. 2. (*b*) *De denario, p.* 49. (*c*) *De pecun. vet. l.* iii. (*d*) *Numm. ant. illuſt. p.* 556. (*e*) *Vid. p.* XLVII.

nis deficiatur) ſupra poſuimus; ſi numerus æreorum nummorum in uno argenteo, per numerum granorum, ex quibus nummus iſte argenteus conſtat, dividatur, quatuor argenti grana unicuique nummo æreo æqualia pretio invenientur. Ex hac igitur proportione ratio æſtimationis inter æs et argentum apud nos erit tantum ut *unus* ad *triginta ſex* cum *integri dimidio*. Et tamen paucos ſolummodo id genus æreos nummos penſantes, qui hoc ipſo anno ſignati fuerant, ad ſextam uſque partem et amplius diverſa gravitate juſtum pondus excedere deprehendimus. Quo minus quis miretur, cum jam argenti copia Romæ ſemel abundare cœperint, haud ita ſcrupuloſam diligentiam in aſſibus percutiendis fuiſſe adhibitam.

Et hæc ſunt, quæ de *aſſe et partibus ejus* in præſentia dicere habuimus: cui argumento, difficili ſane et tortuoſo, quod et ſummorum virorum ingenia haud parum exercuit, ſi quid lucis attuliſſe videamur, non inutilem operam in eo tractando poſuiſſe exiſtimabimus. Quod ad libram autem Romanam attinet, cujus pondus ex librali aſſe inveſtigare propoſuimus; ſi quis ideo libenter minus iis, quæ ſuper hac re diſſeruimus, aſſenſum præbeat, quod tanto leviorem facimus, quam ab aliis vulgo conſtituitur; ut is potius rationum pondera, quam receptæ alicujus opinionis auctoritatem ſequeretur, tantum rogamus. Quid, quod ii, qui ex aliis nummis ſcrutari conati ſunt, longe a ſe invicem, ut vidimus, diſſenſerunt? Nec abſurdi aliquid conſequetur, ſi quis Romanam libram ante ea tempora, ex quibus docti iſti homines, quos ſupra memoravimus, experimenta ſua ceperint, nonnihil adauctam fuiſſe ſuſpicetur. Certe viri eruditiſſimi non defuerunt, qui, ut ea, quæ de veterum Romanorum nummis a ſcriptoribus ſuis tradita ſunt, melius conciliarent,

ciliarent, libram olim fuiſſe mutatam affirmare non dubitarunt. Ita cum Plinius dicit, *Librale pondus æris imminutum bello Punico primo*, de libræ imminutione nonnulli intelligunt (*a*). Præterea hodiernam libram Romanam ea antiquis ſeculis graviorem ii facile pronunciant, qui in hac indaganda illam rationibus ſuis minime convenire deprehendunt; etſi nec de tempore, nec de cauſa incrementi docere aliquid in ſe ſuſcipiant. In ſumma nihil certum et definitum decernimus, rationem tantum rei indagandæ hactenus prætermiſſam proponimus, quam haud aliter admitti, quam ut ab aliis id genus experimentis confirmetur, poſtulamus. Reliquum eſt ut *aſſium Kempianorum* ſeriem, quam ſupra promiſimus, huic *Commentariolo* attexamus. Librales pro dignitate ſua primum locum vindicabunt: cæteri quique ſuo ordine, de quibus illud tantum in anteceſſum admonere volumus, quod, cum omnes haud pariter temporis injuriam evaſerint, ſed alii aliis magis corrupti et diminuti ſint; qui ab reliquorum pondere ejuſdem formæ plurimum deficere comperiuntur, eos de priſtina integritate plus aliis amiſiſſe, manifeſtis indiciis oſtenditur: etſi in cæteris quoque ea ſit ponderis diverſitas, ut nihil certi ex illis conſtitui poſſit.

(*a*) *Vid. Harduin. numm. ant. illuſt. p.* 549. *Gronov. De pecun. vet. l.* ii. *c.* 1.

ASSES cujuſque formæ

Cum aliquot eorum partibus.

Librales.

		unc.	ang.	gr.
As.	JAnus biceps, *cui* litera ⊢. *ſubjicitur.* Navis pars anterior, *ſupra quam* nota quantitatis I.	8	4	0
Triens.	Romæ galeatæ caput, *infra* quatuor oooo. Navis, *ſive* ratis, pars anterior, *infra* quatuor oooo.	2	18	18
Triens.	Eadem ex utraque parte delineatione.	2	15	6

Sextantarii.

As.	Janus biceps, *ſupra* nota quantitatis I. Navis, *ſupra* I. *infra* ROMA.	1	12	19 ½
Triens.	Romæ galeatæ caput, *ſupra* oooo. Navis, *ſupra* ROMA. *infra* oo, *reliquis deletis.*	0	16	18 ½
Triens.	Romæ galeatæ caput, *ſupra* oooo. Navis pars anterior, *infra* oooo.	0	12	12 ½
Triens.	Romæ galeatæ caput, *ſupra* oooo. Navis, *ſupra* ROMA. *infra* oooo.	0	9	17 ½

Unciales.

As.	Jani caput, *ſupra* nota quantitatis I. Navis, *ſupra* I. *infra* ROMA.	0	18	21 ½
As.	Janus biceps. Navis pars anterior, *infra* IMP.	0	16	8
As.	Janus bifrons. Navis, *ſupra* inſcriptio, *ſed literis obſcuris.*	0	14	7 ½
As.	Jani caput, *ſupra* I. Navis, *infra* ROMA.	0	13	22 ½
Triens.	Romæ galeatæ caput, *ſupra* oooo. Navis, *ſupra* ROMA. *infra* oooo. *ad latus* v.	0	7	8 ½
Sextans.	Martis caput, *ut videtur*, *ſupra* oo. Victoria gradiens.	0	3	17 ½

Semunciales.

		unc.	ang.	gr.
As.	Janus bifrons, *ſupra* MEN. Navis, *infra* IMP.	0	9	3
As.	Jani caput. Tria navium roſtra, *infra* PANSA.	0	8	5 ½
Quadrans.	Caput laureatum, *pone* ooo. Navis. *ſupra* ROMA. *infra* ooo.	0	2	3 ½

Dupondia uncialia.

Dupond.	Mercurii caput, pileo quadrato cum alis, *ſupra* oo. Navis, *ſupra* ROMA. *infra* oo.	0	16	15
Dupond.	Iiſdem imaginibus et epigraphe, quibus alter.	0	15	19 ½

Aſſes alii ſemunciales.

As.	Romæ galeatæ caput, *pone* nota o. Navis, *ſupra* ROMA. *infra* o.	0	8	5 ½
As.	Phœbi radiati caput, *a dextra parte* nota o. Luna falcata, *in medio* nota o, *utrinque* ſtella, *infra* ROMA.	0	8	10
As.	Iiſdem prorſus figuris, et epigraphe, ac ſuperior.	0	6	18

ERRATA.

Pag. vii. *verſ.* 16. *lege* poſteros. *p.* xxxv. 20 [.]. *p.* xxxix. 10. ſexcen
ſeſtertia. *p.* xl. 24. ſeſtertia. *p.* xlvi. 19. immutatam. *p.* lvii. 27. nihil ho

NUMISMATA ÆRAEA

Maximae formae.

Græca.

C

Aput Jovis multum extans, diademate redimitum.
Aquila fulmini inſiſtens; a facie cornucopiae. Ep. ΠΤΟΛΕ-
MAIOY BAΣIΛEΩΣ.
2 *Aliud ejusdem, ſed magis detritum.*
3 *Aliud paulo minoris formæ.*
4 *Cap. Jovis laureatum.*
Aquila fulmini inſidens Ep. BAΣIΛEΩΣ ANTIOXOY
ΘEOY EΠIΦANOYΣ.
5 *Idem.*
6 *Idem.*
7 *Caput juvenile, Herculis forte, rudi plane fabrica, leonìnis exuviis ornatum; pone caput ingens clava.*
Averſa facies aerugine multum læſa eſt; apparet tamen S. P. O.
8 *Caput Salutis, aut forte Ptolemæi Soteris ſub ejus ſpecie; a tergo, vas anſatum. Supra* B. *infra* Δ. *a facie* Σ ΩTHPA.
Fortuna ſtans dextrâ temonem, læva cornucopiae cum ramo. Ep. KAΛΛH
TYXH AIΓYΠTOY.

Romana.

1 *Caput Neronis. Ep.* NERO CLAVDIVS CAESAR AVG. GER. P. M. IMP. P. P.
Imperator eques inter duos pedeſtres. Infra lineam tranſverſam, quæ imam æquoris partem ſecat, PROFECTIO AVG.
* *Hoc numiſma eximiæ eſt magnitudinis.*
2 *Capita M. Aurelii et L. Veri adverſa.*
Imperatores copulantur dextras; ad quorum pedes Captivus humi ſedens plorat. Utrinque adſtat exercitus.
3 *Caput Hadriani nudum, Ep.* HADRIANVS ...
Pons quinque fornicibus arcuatus, ſuper quas quatuor ſtatuæ columnis impoſitæ apparent.
* *Eximiæ extantiæ fabrica.*
4 *Caput ejuſdem. Ep.* HADRIANVS AVGVSTVS.
Imperator eques leonem fugientem haſtâ impetit. Ep. VIRTVTI AVGVSTI.

5 *M. Aurelii caput cirratum. Ep.* AVRELIVS CAESAR AVG. FIL. AVG. *Vulcanus ſedet juxta portam urbis, adſtante Pallade et clypeum lævâ gerente. Uterque proræ navis intermediæ manum admovet.*

6 *Caput Fauſtinæ plurimum extans. Ep* FAVSTINAE PII AVG. FIL. *Venus ſtolata dextera paſſa. Ep.* VENERI GENETRICI.

7 *Capita laureata Philipporum, patris et filii, adverſa. Ep.* PIETAS AVGVSTORVM.
Caput Otaciliae. Ep. MARCIA OTACIL SEV. AVG.

8 *Conſtantini magni Caput. Ep.* CONSTANTINVS MAX. AVG. *Criſpus ſtans globum, cui inſidet Phœnix, Conſtantino ſuper thoracem ſedenti, haſtamq; ſiniſtra tenenti, præfert. Pro pedibus Panthera. Ep.* GLORIA SAECVLI VIRTVS AVG. *In ima areae parte,* R. P. *Romae percuſſum indicat.*

Romano-Græca.

1 *Trajani Caput laureatum, ærugine læſum. Ep.* TPAIAN. ΓEPM. ΔAKIK . . . .
Currus triumphalis, in quo Imperator dextra ſceptrum tenet, in cujus faſtigio aquila, læva palmam.

2 *Caput Hadriani laureat. Ep.* AVG. KAI. *Cætera ærugine exeſa.*
Mulier, forte Africa, ſtans, exuviis elephanti induta, ab Imperatore pariter ſtante et dextra ſceptrum tenente, aliquid recipit.

3 *Caput ejuſdem. Ep.* AYT. KAI. TPAI. AΔPIA CEB.
Nilus decumbens, ſub quo Crocodilus: ante faciem I C *forte Iſidem deſignat. Dextra cornucopiæ, in cujus parte ſumma Orus, Iſidis filius, laeva arundinem tenet. In ima areæ parte* LAΩΔEK.

4 *Caput Antonini Pii.* Ep. detrita.
Duo capita, ut opinor, Iſidis et Oſiridis.

5 *Ejuſdem nudum. Ep.* AΔPIA . ANTΩNEINOC.
Mulier decumbens turrito capite dextrâ globum tenet. Ep. NEΩKOPΩN KYΣIKHNΩN.

6 *Caput Antinoi cirratum. Ep* H ΠATPIC ANTINOON ΘEON.
Effigies veſtem venatoriam induta retroſpiciens dextra palmam, ſiniſtra parazonium ten. A tergo porcus, ſuper caput ſtella Apotheoſin indicare videtur, adeoq; eſſe hanc ipſius Antinoi amaſii videlicet, ſi diis placet, numinis in cœlum recepti. Ep. BEIΘYNIEΩN AΔPIANΩN.

7 *Ejuſdem. Ep.* ANTINOOΣ OCTIAIOΣ MAPKEΛΛOΣ . . . .
Aries.

8 *Ejuſdem. Ep.* OCTIAIOC MAPKEΛΛOC O IEPEYC TOY ANTINooY.
Effigies nuda equum anteriores pedes ſurrectum regit, forte Alexandri Bucephalum domantis. Ep. TOIC AXAIOIC ἀνέθηκε.

NU-

NUMISMATA

ROMANA magni moduli IMPERATORUM, AUGUSTARUM, & CAESARUM ex ærea Fabrica.

IN Adverſa parte. Epigraphe. JULIUS. *Caput Julii.*
Averſa. Epig. DIVOS JULIUS. *Coronæ laurea.*

2 2 Sine Epig. *Caput Cæſaris.*
Divos Julius. *Cap. Auguſti Divi Filii.*
3 3 Idem.
4 4 Idem.
5 5 Sine Epig. *Cap. Julii cum lituo.*
Sine Epig. *Currus quatuor elephantis vectus.*
6 1 DIVUS AUGUSTUS PATER. *Cap. Auguſti.*
Sine Epig. *Veſta ſedens, dextra pateram, ſiniſtra haſtam tenet.*
7 2 Divus Auguſtus. *Cap. Aug.*
Conſenſu Senat. et Eq. Ordin. S. P. Q. R. *Fig. ſedens. dex. ramum.*
8 3 Divus Auguſtus. *Cap. Aug.*
Imp. Nerva Caeſar Auguſtus reſtit. *in area* S. C.
9 4 Caeſar Auguſtus Divi F. P. P.
Rom. et Aug. *Ara, utrinq; victoria palmam, & coronam gerens.*
10 5 Caeſar Divi F. *Cap. Aug. cirratum.*
Divos Julius, *in medio coronæ quernæ.*
11 1 TI. CAESAR AUGUSTI F. IMPERATOR VII. *Cap. Tib.*
Rom. et Aug. *Ut* N° 9.
12 2 Sine Ep. *Carpentum.*
Ti. Caeſar Divi Auguſti F. Auguſt. P. M. Tr. Pot. XXXIIX.
13 3 Idem.
14 4 Idem.

15 5 Divo Augusto S. P. Q. R. *Thensa quatuor elephantis vecta.*
Ti. Caesar Divi Aug. F. Aug. P. M. Tr. Pot. XXXIIX. *In area* S. C.
16 6 Civitatibus Asiae restitutis. *Fig. sed. dext. pateram, læva hastam ten.*
Ti. Caesar Divi Aug. F. Aug. P. M. Tr. Pot. XXIIII. *in area* S. C.
17 7 Idem.
18 8 Ob CIvIs Ser. *in medio coronæ civicæ.*
Ti. Caesar Divi Aug. F. Aug. P. M. Tr. Pot. XXXVII. *in area* S. C.
19 9 Q. Aelius L. F. Lamia III. Vir. A. A. A. F. F.
Ob civis. *corona civica.*
20 10 S. P. Q. R. Juliae Augusti. *Bigæ.*
Ut N° 16.
21 11 Nero Claudius Drusus Germanicus Imp. *Cap. Drusi.*
Ti. Claudius Caesar Aug. P. M. Tr. P. Imp. *Sub Fig. spoliis insidente* S. C.
22 1 DRUSUS CAESAR Ti. Aug. F. Divi Aug. N. Pont. Tr. Pot. II. *in area* S. C.
Gemini *Duo cap. sc. Neronis, & Drusi; cornucopiæ hinc & inde imposita.*
23 2 Idem, *nisi quod caduceus duas alas tantum habet.*
24 3 Idem.
25 1 TI. CAESAR DIVI AUG. F. AUG. NEP. *Cap. Neronis Drusi.*
Clementia. S. C. *Clypeus, in medio effigies Deæ.*
26 2 Nero Claudius Drusus Germanicus. IMP. *Caput Drusi.*
Ti. Claudius Caesar Aug. P. M. Tr. P. IMP. S. C. *Figura sedens dextra florem tenet.*
27 1 AGRIPPINA. M. F. MAT. C. CAESARIS AUG. *Cap. Agrippinæ.*
S. P. Q. R. Memoriæ Agrippinæ, *Thensa duabus mulabus vecta.*
28 2 Idem.
29 3 Agrippina M. F. Germanici Caesaris. *Caput Agrippinæ.*
Ti. Claudius Caesar. Aug. Germ. P. M. Tr. P. Imp. P. P. *In area.* S. C.
30 1 C. CAESAR DIVI AUG. PRON. AUG. P. M. TR. P. III. P. P. *Cap. Caligulæ laureatum.*
Adlocut. *Imp. togatus in Suggesto Stans, adloquitur milites, sub quo:* C. O. H.
31 2 Idem.
S. P. Q. R. P. P. OB CIVES SERVATOS. *in corona civica.*
32 3 Divo. Aug. S. C. *Tres Fig. sacrificantes; juxtim, Templum, hexastylum.*
C. Caesar Aug. Germanicus P. M. Tr. Pot. *Fig. sed. sub qua Pietas.*
33 4 C. Caesar. Aug. Germanicus P. M. Tr. Pot. *Caput Caligulæ laur.*
Idem quod N° 30.
34 5 Idem cum priore.
S. P. Q. R. P. P. Ob Cives Servatos. *in Corona civica.*
35 6 Germanicus Caesar. *Thensa quatuor equis vecta, in qua sedet Fig.*
Signis recept. devictis Germ. S. C. *Figura paludata porrigens dextram, sinistra tedam gerens.*
36 7 Idem quod N° 33.
Aprippina, Drusilla, Julia. *Tres Figuræ stantes sub quibus.* S. C.
37 8 Idem.
Idem quod N° 30.

38 1 TI. CLAUDIUS CAESAR AUG. P. M. TR. P. IMP. P. P. *Caput Claudii laureatum.*
Nero Claudius Druſus German. Imp. S. C. *Arcus triumphalis, ſupra quem Figura equeſtris, hinc inde trophæum.*
39 2 Nero Claudius Druſus Germanicus. Imp. *Caput Claudii.*
Ti. Claudius Caeſar Aug. P. M. Tr. P. IMP. S. C. *Figura ſedens, dextra aliquid pene deletum tenet.*
40 3 Idem.
41 4 Idem quod N° 38.
42 5 Idem.
43 6 Idem quod N° 38.
Ex. S. C. P. P. Ob Cives Servatos *in corona civica*
44 7 Idem.
45 8 Idem quod N° 38.
Spes Auguſta *Figura muliebris dextram porrigens fig. mil. ſubſeq. duabus aliis.*
46 9 Ti. Claudius Cæſar Aug. P. M. Tr. P. Imp.
Spes Auguſta S. C. *Spei typus, dext. florem ten. ſin. veſtem ſublevat.*
47 10 Idem.
Idem.
48 1 NERO CLAUD. CAESAR AUG. GER. P. M. Tr. P. IMP. P. P. *Caput Neronis laureatum.*
Janum cluſit pace P. R. Terra Mariq; parta. *Templum Jani clauſum.*
49 2 Idem.
Annona Auguſti, Ceres. *Fortuna ſtans, & Ceres ſedens. intermedia Navis prora.*
50 3 Nero Claud. Caeſar Aug. Ger. P. M. Tr. P. IMP. P. P.
S. C. decurſio, *Duæ figuræ equeſtres decurrentes.*
51 4 Imp. Nero Caeſar Aug. Pont. M. Tr. Pot. P. P.
Roma. *Roma inſidens Spoliis capite galeato, dext. victoriolam tenet.*
52 5 Imp. Nero Claud. Caeſar Aug. Ger. P. M. Tr. P. P. P.
Idem.
53 6 Ut N° 50.
Adlocut. Coh. *Imp. togatus, in Suggeſtu, altera fig. aſſiſt. adloquitur cohortes.*
54 7 Ut Prius.
55 8 Imp. Nero Caeſar Aug. Pont. Max. Tr. Pot. P. P.
S. C. *Arcus triumphalis, ſuper quem hinc & inde figura.*
56 9 Ut N° 50.
S. C. ut prius.
57 10 Idem.
58 11 Ut N° 55.
Idem.
59 12 Idem.
60 13 Idem.
Ut N° 48.
61 14 Ut 52.
Idem.
62 15 Nero Claudius Caeſar Aug. Ger. P. M. Tr. P. Imp. P. P.
Templum ut priora.

63 16 Idem.

63 16 Idem.
Nero ſedens in ſubſtructione, diſtribuit congiarium.

64 17 Imp. Nero Caeſar Aug. P. Max.
Eques haſta petens captivum jacentem.

65 1 IMP. SER. SULP. GALBA CAESAR AUG. Tr. P. *Caput Galbæ laureatum.*
Libertas Publica. S. C. *Fig. Mul. ſtolata dextra pileum, ſiniſtra haſtam puram tenet.*

66 2 Imp. Ser. Galba Caeſ. Aug. Tr. P.
S. C. *Victoria alata Stans, dextra Victoriolam, ſiniſtra palmam ten.*

67 3 Imp. Ser. Sulp. Galba Caeſ. Aug. Tr. Pot.
Adlocutio. *Imp. paladatus in Suggeſto adloquitur Milites ſigna Mil. habentes.*

68 4 Ser. Galba Imp. Caeſ. Aug. Tr. P.
S. P. Q. R. ob. civ. Ser. *in corona civica.*

69 5 Imp. Ser. Galba Caeſ. Aug. Tr. P.
Concord. Aug. *Figura ſidens dextra ramum, ſiniſtra haſtam.*

70 6 Ser. Galba. Imp. Caeſ. Aug. Tr. P.
Roma. *Roma inſidens Spoliis Capite galeato. dextra haſtam, ſin. clypeum gerit.*

71 1 CAESAR AUG. IMP. M. OTHO. *Caput Othonis laureatum.*
S. C. *in laurea.*

72 1 A. VITELLIUS GERMANICUS IMP. AUG. P. M. Tr. P. *Caput Vitellii laureatum.*
S. C. Mars gradivus.

73 1 IMP. CAES. VESPASIAN. AUG. P. M. Tr. P. P. P. COS. III. *Caput Veſpaſiani laureatum.*
Victoria Auguſti. *Victoria alata ſcribens in Clypeo palmæ arbori appenſo.*

74 2 Idem.
S. P. Q. R. P. P. Ob Cives Servatos, *in corona.*

75 3 Idem.
Judaea Capta S. C. *Palma arbor. hinc mulier mæſta Sedens, illinc Imp. Stans.*

76 4 Imp. Caeſ. Veſpaſian. Aug. P. M. Tr. P. P. P. Cos. VII.
S. C. *Templum Veſtæ.*

77 5 Imp. Caeſ. Veſpaſ. Aug. P. M. Tr. P. P. P. Cos. III.
Roma. S. C. *figura Stans. dextra victoriolam, ſin. haſtam tenet.*

78 6 Ut N° 75.

79 7 Idem.
Judaea Capta S. C. *Palma arbor, hinc mulier ſedet plorans, illinc fig. manibus poſt tergum revinctis.*

80 8 Idem.
Roma reſurgens S. C. *Imp. togatus ſublevat mulierem procumbentem ad genua, alia fig. galeata aſſiſtente.*

81 9 Imp. Caeſ. Veſpaſ. Aug. P. M. Tr. P. P. P. Cos. IIII.
Pax Auguſti. *Mulier comburens ſpolia dext. ſin. ramum ten. pone eam columna, in cujus corona ieuncula.*

82 10 Ut 73.
Imp. Aug. F. Cos. Des. It. Caeſ. Aug. Fides. *Titus, & Domitianus paludati.*

83 11 Idem.

83 11 Idem.
84 12 Imp. Caeſar Veſpaſianus Aug. P. M. Tr. P. P. P. Cos. III.
Libertas Publica *Fig. ſtolata, dex. pileum, ſin. haſtam puram ten.*
85 1 IMP. T. CAES. VESP. AUG. P. M. Tr. P. P. P. COS. VIII. *Caput Titi laureatum.*
Provident. Auguſti. *Duae Figurae togatae quarum altera alteri globum tradit.*
86 2 Imp. Caeſ. Divi Veſp. F. Aug. P. M. Tr. P. P. P. Coſ. VIII. S. C. *in area.*
S. P. Q. R. *Thenſa quatuor elephantis vecta.*
87 3 T. Caeſ. Veſp. Imp. Pont. Tr. Pot. Coſ. II.
S. C. *Imperator eques jaculo hoſtem pronum impetens.*
88 4 Ut. 85.
Pax Auguſti S. C. *Mulier ſtans dextra ramum, ſiniſtra Cornucopiæ tenet.*
89 5 Idem.
90 6 Idem.
Epig. trita, *Fig. ſtans, ſin. Cornucopiæ ten. pone quam prora Navis.*
91 7 Idem.
Jud. Cap. *Palma arbor. cui alligata Figura. In imo ſedet Fig. muliebris plorans.*
92 8 T. Caeſar Veſp. Imp. Pont. Tr. Pot. Coſ. II.
Mars gradivus.
93 9 T. Caeſ. Veſp. Imp. Pont. Tr. Pot. Coſ. II. Cenſ.
Fortunae reduci. *Figura muliebris, dextra porrecta, ſiniſtra Cornucopiæ, pro pedibus globus.*
94 1 IMP. CAES. DOMIT. AUG. GERM. TR. P. VIII. CENS. PER. P. P. *Caput Domitiani laureatum.*
Coſ. XIIII. Lud. Saec. *Imp. togat. ſedet in ſubſtructione, offerens aliquid alii Fig. Pro pedibus Icuncula.*
95 2 Imp. Caeſ. Domitian. Aug. Cenſ. P. M. Coſ. II.
S. C. *Figura dextra paterum tenens ſupra aram ignitam; juxtim Templum.*
96 3 Imp. Caeſ. Domitian. Aug. Germ. Coſ. XI.
S. C. *Figura equeſtris decertans contra pedeſtrem.*
97 4 Imp. Caeſ. Domit. Aug. Germ. Coſ. XVIIII. Cenſ. Per. P. P.
S. C. *Imp. paludatus coronatur a Victoria ſiniſtra palmam tenente.*
98 5 Idem *niſi quod* Coſ. XII.
Idem.
99 6 Idem *niſi quod* Coſ. VIII.
Coſ. XIIII. S. C. Lud. Saec. Fec. *Imp. togatus ſtans, plurimæ Fig. genuflexæ; juxtim Templum tetraſtylum.*
100 7 Ut 96.
S. C. *Trophæum, cum victoria ſcribente* DE GER *in clypeo, ſub quo Captivus.*
101 8 Ut N° 98.
S. C. Jovi Victori. *Jupiter ſedens dex. victoriolam, ſin. haſtam ten.*
102 9 Idem, *niſi quod* Coſ. XI.
S. C. Germania capta. *Trophæum, cui alligatus Captivus, cum Muliere humi ſedente.*
103 10 Idem.

103 10 Idem. *Sed* Cos. XVI.
S. C. Cong. II. Cos. II. *Imp. in ſubſtructione ſedens congiarium diſtribuit.*

104 11 Caeſ. Divi Aug. Veſpa. Domitianus Cos. VII. *Cap. Dom. laur.*
S. C. Pax Auguſti. *Fig. ſtolata ſtans dex. ramum, ſin. Cornucop. ten,*

105 12 Ut N° 97, ſed. Cos. XV.
Ut N° 101.

106 1 IMP. NERVA CAES. AUG. P. M. Tr. P. COS. III. *Caput Nervæ laureatum.*
Fiſci Judaici calumnia ſublata. *Palma arbor.*

107 2 Idem.
Concordia Exercituum. *Dextræ junctæ, cum aquila fulmen tenente, & roſtro Navis.*

108 3 Idem.
Idem.

109 4 Imp. Nerva Caeſ. Aug. P. M. Tr. P. Cos. II. Deſign. III. P. P.
Libertas publica. *Figura ſtolata ſtans, dextra pileum, ſin. haſtam.*

110 5 Imp. Nerva Caeſ. Aug. P. M. Tr. P. II. Cos. III. P. P.
Idem.

111 6 Divus Auguſtus. *Cap. Aug. laur.*
S. C. Imp. Nerva Caeſar Auguſtus Reſt.

112 7 Idem.

113 1 IMP. CAES. NERVÆ TRAJANO AUG. GER. DAC. P. M. TR. COS. V. P. P. *Cap. Traj. laur.*
S. P. Q. R. Optimo principi. *Fig. tog. ſtans dex. ramum, ſin. Cornu. copiæ tenet; dext. pede vernæ impoſito.*

114 2 Idem.
S. P. Q. R. optimo principi, *Virtus cum victoriola, pro pedibus Fig. genibus nixa.*

115 3 Idem. *ſed.* Cos. VI.
S. P. Q.R. Optimo principi, *Mulier procumbeus, cum rota; in imo* VIA TRAJAN.

116 4 Imp. Caeſ. Ner. Trajano Optimo Aug. Ger. Dac. P. M. Tr. P. Cos. VI. P. P.
Senatus Populuſque Romanus S. C. *Figura ſtans dextra ramum, ſiniſtra cornucopiæ ten.*

117 5 Ut N° 113.
S. P. Q. R. optimo principi S. C. *Templum octaſtylum multis figuris adornatum.*

118 6 Idem.
S. P. Q. R. optimo principi, *Figura fluvii decumbentis ſub fornice.*

119 7 Idem.
Rex Parthis datus, *Imp. paludatus in ſubſtructione ſedens coronat Regem Stantem.*

120 8 Idem.
S. P. Q. R. Optimo principi, *Victoria Clypeum tenens, in quo* VIC. DAC.

121 9 Idem.
S. P. Q. R. Optimo Principi. *Victoria dextram trophæo imponens.*

122 10 Imp.

122 10 Imp. Caeſ. Nervae Trajano. Aug. Ger. Dac. Parthico. Tr. P. Cos. VI. P. P.
Armenia & Meſopotamia in poteſtatem. P. R. redactæ. *Imp. ſtans inter duos fluvios & Meſopotamiam humi procumb.*

123 11 Ut N° 113.
S. P. Q. R. optimo principi. *figura plorans clypeo inſidet, ex adverſo, Trophæum.*

124 12 Idem.
Alim. Ital. S. P. Q. R. optimo principi. *fig. muliebris ſtans, ſiniſtra cornucopiæ ; pro pedibus Icuncula.*

125 13 Idem.
S. P. Q. R. optimo principi. *Figura Tiberis fluvii comprimentis Iliam.*

126 14 Imp. Caeſ. Nervae Trajano. Aug. Ger. Dac. P. M. Tr. P. Cos. VI. P. P.
Regna adſignata, *Imp. togat. ſed. in ſubſtructione adſignat regna tribus regibus.*

127 15 Ut 113.
S. P. Q. R. optimo principi. *Templum octo columnis, hinc & inde porticus.*

128 16 Idem.
S. P. Q. R. optimo principi. *Imp. paludatus dextra fulmen tenens coronatur a Victoria alata.*

129 17 Idem.
S. P. Q. R. optimo principi. Arab. adquis. *Arabia cum camelo.*

130 18 Idem *ſed* Imperatorum. S. C. *Imp. palud. ſedens in Suggeſto, cohortes adloquitur.*

131 19 Ut 129.
Idem.

132 20 Idem.
S. P. Q. R. optimo principi. *Fig. Mul. ſtolata ſtans, dextra ramum ſin. cornucopiæ.*

133 21 Ut 116.
S. P. Q. R. optimo principi, *Pons inſignis.*

134 22 Ut 113.
S. P. Q. R. optimo principi. *Imp. eques, impetens haſta Figuram genuflexam.*

135 23 Idem.
S. P. Q. R. Op. Pr. *Templum octaſtylum, in medio Fig. cippo impoſita.*

136 24 Ut 122.
Idem.

137 25 Ut 134.

138 26 Αὐτοκρ' Καῖσ Νερ' Τραιανὸς Σεβ' Γερ' Δακ. *Cap. Ner. laur.* Δημάρχ' ἐξ Ὑπάτο. *Caput Jovis Ammonis.*

139 1 HADRIANUS AUGUSTUS. *Caput Hadriani laureatum.*
Cos. III. S. C. *Ceres ſpoliis inſidens, dextra icunculam, ſin. cornucopiæ. tenet.*

140 2 Imp. Caeſar Trajan. Hadrianus Aug. P. M. Tr. P. Cos. III.
Pietas Auguſti. *Figura Pietatis ad aram ignitam.*

141 3 Hadrianus

141 3 Hadrianus Aug. Cos. III. P. P.
Reſtitutori Galliae. *Imp. Galliam genu nixam ſublevat.*

142 4 Idem.
Reſtitutori Macedoniae. *Imp. Macedoniam pronam ſublevat.*

143 5 Ut 139.
Felicitati Aug. Cos. III. P. P. *Navis prætoria cum ſex remigantibus, & velo expanſo.*

144 6 Idem.
Eadem epig. *Navis cum octo remigantibus.*

145 7 Idem.
Eadem Epig. *Navis cum quinque remigantibus; in prora Neptunus.*

146 8 Idem.
Idem. *ſed ad proram Neptunus, ad clavum gubernator inter tria ſedet aplu ſtria.*

147 9 Imp. Caeſar Trajan. Hadrianus Aug.
Liberalitas Aug. Pont. Max. *Imp. ſedens in ſuggeſto, diſtribuit congiarium.*

148 10 Idem.

149 11 Ut 141.
Adventui Aug. Judææ. *Judæa ſacrificat ob adventum Imperatoris.*

150 12 Idem.
Ægyptos. *Ægyptus caniſtro frugum innixa, ſiſtrum tenet; ad ſtat Ibis.*

151 13 Idem.
Africa. *Africa decumbens Scorpium dex. ſin. Cornucopiæ tenet; ad pedes Caniſtrum flocum.*

152 14 Hadrianus Aug. Cos. IIII. P. P.
Dacia. *Dacia Armis inſidens. cum palma, & Signo militari.*

153 15 Ut 141.
Adventus Aug. Britanniae. *Britannia, adſtante Imp., ſacrificat.*

154 16 Ut 141.
Hiſpania. *Hiſpania innixa montibus Pyrenaeis, oleæ ramum tenet.*

155 17 Idem.
Reſtitutori Hiſpaniae, *Hiſpania cum cuniculo ad pedes ab Imp. ſublevatur.*

156 18 Imp. Caeſar Trajanus Hadrianus Aug.
Pont. Max. Tr. Pot. Cos. II. Adventus Aug. *Imp. paludatus Armis inſidens recipit aliquid ab alia fig.*

157 19 Imp. Caeſar Trajanus. Hadrianus Aug. P. M. Tr. P. Cos. II.
Reſtitutori orbis Terrarum. *Imp. Terram ſpecie Mulieris ſphæram manu tenentis, ſublevat.*

158 20 Ut 139.
Hilaritas. P. R. Cos. III. *Fig. muliebris dex. palmam, ſin. cornucopiæ; hinc & inde Icuncula.*

159 21 Ut 141.
Felicitas Aug. *Imperator cum Felicitate pactum init.*

160 22 Idem. *Sed caput Imperatoris ſine laurea.*

161 23 Ut 141. *Sed caput ſine laurea.*
Fortunae reduci. *Imp. & Fortuna dextras jungentes.*

162 24 Ut 139.
Exped. Aug. *Imp. Eques decurrens.*

163 25 Ut 141.
Adventus Aug. Mauritaniæ. *Mauritania, exuviis elephanti caput tecta, ſacrificat.*

164 26 Ut 157.
Liberalitas Aug. III. *Imp. ſedens in ſuggeſto, duabus figuris aſtantibus, congiarium diſtribuit.*

165 27 Ut 141.
S. C. *Diana ſtans, dextra ſagittam, ſiniſtra aroum tenet.*

166 28 Ut 157.
Pont. Max. Tr. Pot. Cos. II. Fort. Red. *Fortuna cornucopiæ habens, & gubernaculum navis.*

167 29 Idem. Sed. Cos. IIII.
Annona Auguſti *Ceres ſedens, in ſinu cornucopiæ, pro pedibus caniſtrum florum.*

168 30 Ut 152.
Epig. deleta *Fig. muliebris caniſtro florum innixa, dextram galeæ imponit.*

169 31 Ut 156.
Pont. Max. Tr. Pot. Cos. II. Annona Aug. *Ceres ſtans; ex adverſo modius, & alia figura.*

170 32 Hadrianus Auguſtus Cos. II.
Ut 158.

171 33 Ut 156.
Pont. Max. Tr. Pot. Cos. II. Annona. Aug. *Ceres ſtans dex. ſpicas, ſ. Cornucopiæ, pro pedibus modius, pone eam prora navis.*

172 34 Ut 141.
Reſtitutori Achaiæ, *Achaia ab Imperatore ſublevatur.*

173 35 Imp. Caeſar Trajanus Hadrianus Aug. P. M. Tr. P. Cos. III.
Providentia Deorum. *Prvovidentia dextram extendens, ſiniſtra veſtem ſublevat.*

174 1 SABINA AUGUSTA HADRIANI AUG. P. P. *Caput Sabinæ Auguſtæ.*
Veneri Genetrici. *Venus ſiniſtra pomum tenens.*

175 2 Sabina Auguſta Imp. Hadriani Aug. P. P.
S. C. *Veſta cum haſta & Palladio.*

176 3 Idem quod 174.

177 4 Ut 174.
Pietas S. C. *Fig. muliebris ſedens dextra extenſa Palladium ſuſtinet ſin. haſtam.*

178 5 Idem.

179 6 Idem.

180 1 L. AELIUS CAESAR, *Antonini Pii effigies.*
Pannonia. Tr. Pot. Cos. II. *Pannonia turrita, & labarum tenens.* Spartianus.

181 2 Idem.
Tr. Pot. Cos. II. *Fortuna dextra temonem tenens cum Spe colloquitur.*

182 3 Idem.
Concordia. *fig. muliebris ſedens, dextra pateram tenet.*

183 4 Idem.

183 4 Idem.
Epig. deleta. *Fig. muliebris ſtans dextra haſtam tenet.*
184 5 Ut 180.
185 1 ANTONINUS AUG. PIUS. P. P. *Caput Antonini laureatum.*
Tr. Pot. Cos. II. *Ceres ſtans, dextra florem trifidum, ſiniſtra cor. nucopiæ.*
186 2 Antoninus Aug. Pius. P. P. Tr. P. XXIII.
Pietati Aug. Cos. IIII. *Pietas dext. globum tenens ſin. infantem, duobus aliis adſtantibus.*
187 3 Antoninus Divus.
Conſecratio. *Rogus.*
188 4 Antoninus Aug. Pius. P. P. Tr. P. Cos. IIII.
S. C. *Imp. & altera fig. in ſuggeſto ſedent; hinc & inde ſatellite ſtante.*
189 5 Antoninus Aug. Pius. P. P. Tr. P. XII.
Cos. IIII. *Aſtræa, dextra bilancem ſin. cornucopiæ.*
190 6 Ut 185.
Italia Cos. III. *Italia capite turrito inſidens globo, dex. cornucopiæ, gerit, ſ. ſceptrum.*
191 7 Idem. *ſed* Tr. P. XVI.
Salus. Aug. Cos. III. *Salus, aræ circumvoluto ſerpenti cibum e patera præbens.*
192 8 Idem. *ſed* Cos. III.
Imperator II. *Pietas cum caniſtro florum.*
193 9 Ut 188.
Felicitas Aug. *Felicitas ſin. caduceum, dex. avem ten.*
194 10 Ut 192.
Genio Senatus. *Genius cum haſta & laur.*
195 11 Idem.
Tiberis. *Tiberis decumbens, cum navicula, arundine, & urceo.*
196 12 Antoninus Aug. Pius. P. P. Tr. P.
Pax Aug. *Pax arma incendens, ſin. cornucopiæ.*
197 13 Imp. Caeſar Ael. Hadr. Antoninus Aug. P. P.
Tr. Pot. XV. Cos. IIII. *fig. muliebris ſedens, & dex. globum tenens à victoria coronatur.*
198 14 Imp. Antoninus Pius. P. P. Tr. P. XXI.
Templum Div. Aug. Reſt. Cos. IIII. *Templum octo columnis ſuſtultum.*
199 15 Ut 185 Sed Tr. P.
Liberalitas Aug. IIII. *Imp. in ſuggeſtu ſedens, diſtribuit congiarium.*
200 16 Ut 192.
Imperator II. *Victoria alata trophæum fert.*
201 17 Antoninus Pius Aug. P. P. Tr. Cos. III.
Aurelius Caeſar Aug. Pii F. Cos.
202 18 Ut. 186. Sed Tr. P. XXII.
Cos. III. *Statua Antonini ſub arcu.*
203 19 Ut 188.
Figura ſedens dex. ſceptrum gerit ſin. capiti impoſita.
204 20 Antoninus Aug. Pius. Imp. II.
Tr. Pot. XIX. Cos. IIII. S. C. *in corona civica.*

205 21 Annto-

205 21 Antoninus Pius.
Divo Pio. *Antonini columna.*

206 22 Ut. 185.
Alexandria Cos. II. *Alexandria dextra coronam ſin. Ibim avem.*

207 23 Ut 192.
Romæ AEternæ *Templum decaſtylum.*

208 24 Idem quod 190.

209 25 Ut 185.
Tr. P. Cos. III. *Lupa Romulum, & Rhemum lactans.*

210 26 Ut 196.
Cos. III Quadrigæ. *Imp. aurigante, & flammantem tedam tenente.*

211 27 Antoninus Aug. Pius P. P. Tr. P. Cos. III.
Rex Armeniis datus *Imp. Regem Armeniæ coronans.*

212 1 DIVA FAUSTINA. *Fauſtinæ effigies.*
Aeternitas *Aeternitas dex. globum tenens, ſin. haſtam puram.*

213 2 Diva Auguſta Fauſtina.
Idem.

214 3 Idem.
Securitas Auguſtae. *Figura mulieb. ſtans, dextra haſtam tenet.*

215 4 Ut 212.
Aeternitas. *Fauſtina capite turrito in biga leonum.*

216 5 Diva Auguſta Fauſtina.
Matri Deum Salutare, *Cybele ſedens.*

217 6 Ut 212.
Fauſtina in curru elephantis vecto.

218 7 Idem.
Conſecratio. *Mulier ſtans dextra pateram, ſ. haſtam.*

219 8 Idem.
Auguſta. *Fig. mul. ſtans dextra tedam oblongam gerit.*

220 9 Ut 213.
Pietas Aug. *Templum hexaſtylum.*

221 10 Ut 212.
Auguſta. *Fig. mul. ſtans, dex. ſpicas, ſin. tedam flammantem gerit.*

222 1 AURELIUS CAESAR AUG. PII. F. COS. S. C. *Caput Aurelii cirratum.*
Antoninus Aug. *Caput Antonini Pii laureatum.*

223 2 Imp. Caeſ. M. Aurel. Antoninus Aug. P. M.
Concord. Auguſtor. Tr. P. XVI. Cos. III. *Marcus, & Lucius dextras jungentes.*

224 3 Imp. Caeſ. L. Aurel. Verus Aug. *Caput Lucii laureatum.*
Idem.

225 4 Aurelius Caeſar Aug. Pii Fil.
Tr. Pot. XIII. Cos. II. *Mars galeatus, dextra Victoriolam, ſin. haſtam.*

226 5 Imp. M. Antoninus Aug. Tr. P. XXV. *Cap. Ant.*
Primi Decennales Cos. III. S. C. *In corona civica.*

227 6 M. Antoninus Aug. Armeniacus.
Tr. Pot. XX. Imp. IIII. Cos. III. *Victoria dex. palmam, ſin. clypeum, in quo VIC. PAR.*

228 7 Ut 225.
Tr. Pot. II. Cos. II. Honos. *Honos togatus ſtans, haſtam puram & cornucopiæ tenet.*
229 8 Ut 223.
230 9 Idem.
231 10 Ut 223. ead. epig. *Sed caput laureatum.*
Saluti Auguſtor. Tr. P. XVII. Cos. III. *Salus cum ſerpente in patera lib.*
232 11 M. Antoninus.
Imp. VI. Cos. III. S. C. Relig. Aug. *Templum cum Deo cui dedicatum eſt.*
233 12 Divus M. Antoninus Pius. *Sine laurea.*
Conſecratio. *Marcus Dei habitu ab aquila in Cœlum portatur.*
234 13 M. Antoninus Aug. Tr. P. XXVII.
Germanico Aug. Imp. VI. Cos. III. *Trophæum hinc, & inde captivus.*
235 14 Idem.
Reſtitutori Italiae Imp. VI. Cos. III. *Imp. Italiam genu nixam ſublevat.*
236 15 Idem.
237 16 M. Aurel. Antoninus Aug. Armeniacus. P. M.
Imp. III. Cos. III. Tr. Pot. XX. *Providentia cum virga & haſta; pro pedibus Orbis Terrarum.*
238 17 Ut 227.
Tr. Pot. XIX. Imp. II. Cos. III. *fig. paludata ſtans, cum haſta, & clypeo.*
239 18 Ut 225. Sed Cos.
Juventas. *Juventas Dea ſtans.*
240 19 Ut 225.
Tr. Pot. XV. Cos. III. *Fig. mul. ſtans cum quatuor infantibus; quorum duos ulnis geſtat.*
241 20 Idem.
Tr. Pot. VIIII. Cos. III. *Pallas armata ſedens, cum haſta & clypeo.*
242 21 M. Antoninus Aug. Germ. Tr. P. XXIX.
Liberalitas Aug. VI. Imp. VII. Cos. III. *Liberalitas Dea ſtans, cum teſſera, & cornucopiæ.*
243 22 Ut 226.
244 23 M. Aurel. Antoninus Aug. Arm. P. M. Tr. P.
Ut 227.
245 24 Ut 226.
Vota ſuſcept. decenn. II. *Antoninus velato capite vota ſuſcipit.*
246 25 M. Antoninus Aug. Arm. P. M. Tr. P.
Imp. V. Cos. IIII. *Fig. mulieb. ſedens dex. bilancem, ſin. Cornucopiæ tenet.*
247 1 FAUSTINA AUGUSTA. *Caput Fauſtinæ capillis undulatis.*
Saeculi Felicit. *Duo gemelli M. Antonini lectulo inſidentes.*
248 2 Fauſtina Aug. Pii Aug. Fil. *Cap. Fauſt. quæ Pii fil. Marci ux.*
S. C. *Fig. mul. ſtans, dex. ſagittam, ſin. anguem tenet.*
249 3 Fauſtina Diva.
Conſecratio. *Ara ignata.*

250 4 Ut

250 4 Ut 248.
Conſecratio. *Rogus.*

251 5 Diva Fauſtina Pia.
Conſecratio. *Sella Junonis in honorem Fauſtinæ.*

252 6 Idem.
Sideribus recepta. S. C. *Fauſtina Lunæ habitu facem tenet.*

253 7 Idem.

254 8 Ut 247.
Matri magnæ. *Cybele turrito cap. tympanum tenens inter duos leones ſedet.*

255 9 Ut 248.
S. P. Q. R. *Carpentum duabus mulabus vectum.*

256 10 Fauſtina Aug. Pia Aug. Pii.
Veneri Genetrici. *Venus tenens pomum, & infantem faſciis involutum.*

257 11 Ut 247.
Averſa pars obſcura.

258 12 Idem.
Juno. S. C. *Juno cum patera, haſta, & pro pedibus pavone.*

259 13 Idem.
Saluti Auguſtae. *Salus Dea ſedens, dext. pateram tenet in qua libat ſerpens.*

260 14 Ut 251.
Epig. deleta. *Fig. mul. ſtans, dex. pateram ſin. ſcipionem gerit.*

261 15 Ut 247.
Fauſtina ſacrificans, ex adverſo tria ſigna militaria.

262 16 Ut 251.
Conſecratio. *Aquila volans in unguibus globum tenet.*

263 1 L. AUREL. VERUS AUG. ARMENIACUS. *Cap. L. Veri laureatum.*
Tr. Pot. V. Imp. II. Cos. II. *Imp. paludatus ſtat inter quatuor ſigna militaria.*

264 2 L. Verus Aug. Arm. Parth. Max. Imp. *laureatus.*
Tr. P. VI. Imp. IIII. Cos. II. *Victoria tenens clypeum palmæ impoſit. in quo VIC. PAR.*

265 3 Ut 263. Tr. P. IIII. Imp. II. Cos. II. *Victoria tenens clypeum palmæ imp.* VIC. AUG.

266 4 Ut. 264.
Tr. Pot. VIII. Imp. V. Cos. II. Fort. Red. *Fortuna ſedens dex. temonem, ſin. cornucopiæ tenet.*

267 5 Ut 163.
Imp. II. Cos. II. Aug. Tr. P. III. *Victoria gradiens trophæum tenet: pro pedibus mul. plorans.*

268 6 Divus Verus. *ſin. lauream tenens.*
Conſecratio. S. C. *Rogus.*

269 7 Idem.
Conſecratio. *Aquila alis expanſis ſuper globum.*

270 1 LUCILLAE AUG. ANTONINI AUG. F. *Caput Lucillae.*
Venus. S. C. *Venus ſtans dex. pomum, ſin. haſtam.*

271 2 Idem.

272 3 Idem

272 3 Idem.
273 4 Idem.
Junoni Lucinæ. *Juno ſedens dex. florem triſidum, ſin. cornucopiæ tenet.*
274 5 Lucilla Auguſta.
Ep. deleta. *Fig. mulieb. ſtans, pro pedibus icuncula.*
275 6 Idem.
Ep. deleta. *Fig. mulieb. ſedens inter aliquas icunculas.*
276 1 M. COMMODUS ANTONINUS AUG. *Caput Commodi laureatum.*
Tr. P. VIII. Imp. VI. Cos. IIII. P. P. *Fig. gradiens, dex. ſpiculum, ſiniſtra clypeo infixa.*
277 2 Idem.
Tr. P. XII. Imp. VII. Cos. VI. Fid. Exercit. *Imp. in ſuggeſtu adlo. quitur cohortes.*
278 3 Idem.
Tr. P. Liberalitas Aug. *Imp. ſedens diſtribuit congiarium, ut ſæpe.*
279 4 M. Antoninus Commodus Aug.
Tr. Pot. VII. Imp. IIII. *Fig. ſtans dex. Victoriolam, ſin. cornucop. tenet: hinc prora, inde pharetra.*
280 5 Ut 276.
Mon. Aug. *Tres Monetæ.*
281 6 Ael. Aurel. Comm. Aug. P. M.
Imp. XVII. Imp. XVIII. Cos. VII. P. P. *Imp. paludatus porrigit dextram fig. muliebri: Intermedia ſtella.*
282 7 Imp. L. Aurel. Commodus Aug. German. P. M.
Tr. P. II. De Germ. *Trophæum; hinc & inde captivus nudus decumbens.*
283 8 Idem.
Congeries armorum.
284 9 Idem.
Ut 282.
285 10 M. Commodus Ant. P. Felix. Aug. Brit.
P. M. Tr. P. XIII. Imp. VIII. Cos. *Mulier ſedens dex. temonem, ſin. cornucopiæ tenet.*
286 11 Idem.
Hilaritas. *Mulier ſtans dex. florem, ſin. palmam oblongam.*
287 12 Ut 276.
Lib. Aug. III. *Imp. diſtribuit congiarium, ut ſæpe.*
288 13 Ut 285.
Cos V. P. P. *Quadriga triumphalis, Imp. aurigante.*
289 14 M. Commodus Anton. Aug. Pius Brit.
P. M. Tr. P. X. Imp. VII. *Italia orbi inſidet, cornucopiæ & ſceptrum tenens, in capite modius.*
290 15 Ut 285.
Epig. deleta. *Superior pars hominis ſupra ſpolia.*
291 16 Ut 276.
Prov. Deor. Tr. P. &c. *Providentia regit orbem terrarum virga, ut ſæpe.*
292 17 Ut 285.
Auctor Pietat. Tr. P. &c. *Pietas Dea pateram dex. tenens ſacrificat.*

293 18 Imp

293 18 Imp. L. Aurel. Commodus Aug. Tr. P. III.
Vota Publica. *Imp. velatus ſacrificat ſupra tripodem, altera fig. vitulum mactante.*

294 19 Ut 276.
P. M. Tr. P. XI. &c. *Imp. armatus ſtans, dex. victoriolam, ſin. haſtam tenet.*

295 20 Idem.
Epig. deleta. *Jupiter haſtam, ſin. ten. protegit Imp. dext. fulmen ten.*

296 1 CRISPINA AUGUSTA. *Caput Criſpinæ.*
Salus S. C. *Salus cum ſerpente, ut ſæpe.*

297 2 Idem.
Venus Victrix. *Venus ſedens, cum victoria & haſta.*

298 3 Idem.
Epig. deleta. *Salus cum ſerpente, ut ſuperius.*

299 4 Idem.
Concordia. *Figura muliebris ſedens, dex. pateram, ſin. cornucopiæ ten.*

300 5 Idem.
Pudicitia. *Venus pudica ſedens.*

301 1 IMP. CAES. P. HELV. PERTINAX AUG. *Cap. Pertinacis laureatum.*
Aequitas Aug. T. P. Cos. II. *Æquitas ulnam & ſtateram tenens.*

302 1 IMP. CAES. M. DID. SEVER. JULIAN. AUG. *Caput Juliani Severi laureatum.*
Pacator Orbis. *Imp. togatus, dextra globum, ſin. veſtem ſublevat.*

303 1 MANLIA SCANTILLA AUG. *Caput* M. *Scantillæ.*
Juno Regina. *Juno dex. pateram, ſin. haſtam puram tenet, pro pedibus pavo.*

304 2 Idem.

305 1 DIDIA CLARA AUG. *Caput Didiæ.*
Hilar. Tempor. *Fig. ſtans dextra palmam, ſin. cornucopiæ.*

306 2 Idem.

307 1 D. CLOD. SEPT. ALBINUS CAES. *Caput Albini ſine laurea.*
Felicitas. Cos. II. *Fig. ſtans dex. caduceum, ſin. haſtam.*

308 1 L. SEPT. SEV. PERT. AUG. IMP. III. *Caput Severi laureatum.*
Vict, Aug. Tr. P. II. Cos. II. P. P. *Fig. armata, dex. victoriolam, ſin. haſtam gerit.*

309 2 Idem. *Imp. laureatus.*
Africa. *Africa elephantinam galeam induta ſpicas geſtat, pro pedibus leo.*

310 3 Idem. *Imp. laureatus.*
Ep. ut 308. *Victoria gradiens coronam dex. palmam ſin. geſtat.*

311 4 Idem. *Imp. laureatus.*
Ep. del. *Figura virilis ſtans coronatur ab Imp.*

312 5 Imp. Caeſ L. Sep. Severus.
Ep. del. *Victoria lauream & palmam ferens.*

313 6 Ut 308. *Imp. laureatus.*
Felicitas ſaeculi. *Fig. mul. dext. caduceum, læva cornucopiæ tenet.*

314 7 L. Sept. Severus Pius Aug.
P. M. Tr. P. XVIII. Cos. III. P. P. *Tres fig. ſacrificantes ſuper aram ignitam.*

315 8 Idem

315 8 Idem *Imp. laureatus.*
Eadem epig. *Duæ Victoriæ manus imponentes clypeo palmæ arb. appenſo.*
316 9 Ut 308. ſed Imp. VIII.
Epig. del. *Fig. nuda ſtans dex. Victoriolam, ſin. haſtam.*
317 10 Ut 308.
Cos. I. Tr. P. *Trophæum cum captivis, ut ſæpe.*
318 11 Idem.
S. C. *Duæ figuræ nudæ, altera exuvias leonis, altera autem apri caput habens.*
319 12 Ut 316.
Adventui Aug. feliciſſimo. *Severus in equo ducitur in urbem a fig. ped. paludata.*
320 13 Idem.
Moneta Aug. Cos. *Tres Monetæ, ut ſæpe.*
321 14 Divo Septimio Severo Pio. *Sine laurea.*
Conſecratio S. C. *Rogus.*
322 1 JULIA AUGUSTA. *Caput Juliæ Domnæ.*
Venus felix. *Venus ſtans dex. pomum tenet, ſin. ad humerum reflexa.*
323 2 Idem.
Junoni Lucinæ. *Juno ſedens, dextra florem triſidum, ſin. infantulum faſciis involutum geſtat.*
324 3 Julia Domna Aug.
Veneri. *Venus nuda columnæ innixa, palmam, & pomum gerit.*
325 4 Idem.
Juno Lucina. *Juno ſtans, ſin. haſtam, dex. patoram; pro pedibus pavo.*
326 5 Ut 322.
Ep. deleta. *Mulier ſtans dex. palmam oblongam, ſin. Cornucopiæ gerit.*
327 6 Julia Pia Felix Aug.
